DE

ORATIONIBUS ET EPISTULIS ACITI OPERIBUS INTEXTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

IN

ACADEMIA PHILIPPINA MARPURGENSI ORDINIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

EDIDIT

FERDINANDUS ANACKER

CASSELANUS.

MARPURGI CATTORUM.

MDCCCLXXXIX.

THEODORO BIRT,

GUILHELMO BOEHMER

SACRUM.

Praefatio.

Et antiqui ipsi orationes et epistulas rerum gestarum enarrationi insertas a scriptoribus ipsis esse compositas testantur et docti homines philologi atque historici sane nostri demum saeculi legem rogaverunt et pertulerunt, ut si quis genuinam esse aliquam orationem vel epistulam censeat, argumenta talem exceptionem comprobantia afferat necesse sit. Attamen praecipue quod ad orationes Taciti libris interpositas attinet, illa lex interdum neglecta vel spreta est. Velut non solum Spengelius Senecae orationem[1]) genuinam putavit sed etiam Teuffelius[2]) Tiberii literas ad senatum scriptas[3]) et codicillos eiusdem principis ad Seianum missos[4]) ‚Urkunden' nominat. Inde consilium mihi in fidem orationum Tacitinarum paulo accuratius inquirere. Priusquam vero id opus ‚aleae plenum' aggrediar, breviter disseram de ratione, qua singuli rerum scriptores et Graecorum et Romanorum usi sint. Quamvis enim dubitari nequeat, quin omnes fere orationes insertae ab historicis sint conscriptae, tamen alii alias secuti sunt componendi rationes. Pauca faciam verba: nam omnia ferme, quae in universum prae-

1) Tac. Ann. XIV, 53. 54. cf. Woelfflin: Philol. 26, 140.

2) Teuffel: Hist. Litt. Romm. 275[4],2. cf. 333, 14.

3) Tac. Ann. III, 53.

4) Tac. Ann. IV, 40.

-fationis modo de hac re dici possunt, iam ab aliis[1]) satis accurate prolata sunt. Adnotationis loco addam eundem gradum atque orationes obtinere epistulas. Etenim si quis ad absentem loqui vult, literas conscribit.

Graecorum antiquissimi rerum scriptores, logographi, a poesi epica profecti etiam poetarum epicorum licentiam fictis orationibus insertis usurpaverunt. Quod cum fragmenta[2]) tum Herodotus, pater historiae, testantur. Nam Herodotus quoque logographos hac in re secutus saepe homines inducit verba facientes, quae narrationi amœnitatem atque varietatem adducunt. Neque igitur inepte Quintilianus[3]) orationes Herodoteas ‚sermones' nominat. Sequitur Thucydides, qui primus cum arte rhetorica nimirum cauta neque immodesta orationes artificiose conscriptas operi suo intexuit. De ratione, qua usurus sit, ipse loquitur in primi libri capite vicesimo altero.[4]) Ut enim singulos aptissime dicturos fuisse occasione certa data sibi persuasum sit, talia verba iis se esse attributurum confitetur, ita tamen, ut quam artissime ad orationum genuinarum sententiam se applicet. Thucydide multo inferiores sunt scriptores, qui sequuntur, Xenophon, qui ut aemulator Thucydidis ita cum in tota rerum gestarum descriptione tum in orationibus componendis multo minus perfectus est, Ephorus et Theopompus, Isocratis discipuli, qui artem suam rhetoricam iactantes artificia tantum scholae rhetoricae praebuerunt. Et id quod Polybius[5]) Timaeo Siciliae historiae auctori obiecit, etiam ad illos pertinet. Schola enim

---

1) H. Schnorr v. Carolsfeld: „Ueber die Reden und Briefe bei Sallust". München 1886. p. 2—8.

Joannes Seebeck: ‚de orationibus Taciti libris insertis'. Part. I. Cellae 1880. p. 5—15.

Aemilius Walter: ‚de Taciti studiis rhetoricis'. Halis Saxonum 1873. p. 16—18.

R. Rodenwaldt: ‚de orationum Tacitearum fide historica etc.' Jenae 1875. p. 1—7.

2) Hecataei frg. 353 (K. Müller: Histt. graecc. fragmm. I. p. 28.)

Hellanici frg. 183 (I. p. 64. M.)

Pherecydis frgg. 112. 113. (I. p. 98. M.)

3) Quint. inst. or. X, 1,73.

4) cf. Jebb: Reden des Thucydides vert. Imelmann

5) Polyb. 12, 25 a4.

rhetorica ita praevaluit in orationibus conscribendis, ut nec dicentium animorum nec rerum conexus ratione habita orationes insertae operum licentiae speciem prae se tulerint. Quo ex tempore semper fere praecepta rhetorica nimis valuerunt ad orationes componendas.[1]) Neque tamen posteriorum aetatum scriptores tam ex libidine orationes finxerunt ut Timaei, Ephori, Theopompi. Jam enim Polybius postulat[2]), ut orationes et cum dicentium animis et cum rerum causis atque conexu congruant: ‚τὸ δὲ τοὺς ἁρμόζοντας (λόγους) καὶ καιρίους ἀεὶ λαμβάνειν τοῦτ᾽ ἀναγκαῖον‘. Neque aliter indicaverunt Diodorus Siculus[3]) et Lucianus et Dionysius Halicarnassensis. Dionysius[4]) eas esse debere ‚τοῖς προσώποις πρέποντας καὶ τοῖς πράγμασιν οἰκείους καὶ μήτε λείποντας τοῦ μετρίου μήτε ὑπεραίροντας‘ censet, Lucianus[5]) ‚μάλιστα μὲν ἐοικότα τῷ προσώπῳ καὶ τῷ πράγματι οἰκεῖα λεγέσθω‘ iubet Quam rationem ceteri quoque Graecorum rerum scriptores probasse videntur, Plutarchus et imprimis Dio Cassius alique minoris momenti arte sane impari. Iam enim Dio magis Luciani verbis, quae sequuntur: ‚πλὴν ἐφεῖταί σοι τότε καὶ ῥητορεῦσαι καὶ ἐπιδεῖξαι τὴν τῶν λόγων δεινότητα‘ se addixit quam supra allatis

Transeo ad Romanorum rerum scriptores. Et quidem primus, cuius de usu certum aliquid dici potest, Cato ‚Originibus‘ suas ipsius interposuit orationes[6]), aliorum autem nullam nisi unam[7]), quatenus quidem nos discernere possumus. Coelium Antipatrum deinde, Sempronium Asellionem, Claudium Quadrigarium, Valerium Antiatem, Cornelium Sisennam sermones commenticios inseruisse enarrationi vix negari potest.[8]) Jam accedamus ad Sallustium, de cuius ratione satis bene disseruit Carolsfeldus. Etiam Sallustii orationes rhetorice fictae sunt ita tamen, ut magis ad mores et ingenia hominum memorabilium describenda spectent quam ad rerum

---

1) Cic. de legg. 1,5: cum sit (historia) opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime.

2) l. c.

3) Diod. Bibl. 20, 2, 2.

4) Dionys. iud. de Thucyd. 36.

5) Luc. de hist. conscr. 58.

6) Gell. VI, 3. Liv. 45, 25, 1.

7) Gell. III, 7. cf. Carolsfeld: l. c. p. 5.

8) Carolsfeld: p. 5 sqq.

causas motusque detegendos[1]. Caesare omisso vertamus nos ad Livium, ‚rerum Romanarum eloquentissimum auctorem[2])'. Qui adeo rhetorice res gestas describit ut orationes maximam partem commenticias quaeque inprimis narrationi rhetorice exornandae serviunt, interponat. Maiorem scilicet fidem habuisse historicam orationes posterioribus libris non extantibus insertas verisimillimum est. Nam de Julii Caesaris contionibus sine dubio Livius certius magisque fidum noverat quam de Romuli. Addendum est non defuisse vituperatores quoque consuetudinis orationum inserendarum. Velut apud Graecos Cratippus, Thucydidis obtrectator[3]), apud Romanos Pompeius Trogus[4]), qui nonnisi indirectas interposuit.

Citius fortasse quam ut res postulabat perlustravimus clarissimos et Graecorum et Romanorum rerum scriptores. Jamiam transeamus ad Tacitum ipsum. Et prima quidem quaestio nobis occurrit, utrum scriptor genuinas ipse introspexerit orationes an tantummodo ex rerum scriptorum, quibus usus est auctoribus, libris earum notitiam sit consecutus. Minoris enim momenti in universum sunt quae ex iis qui dicentibus ipsi interfuerant, audivit. Prima quaestio et difficillima! Neque fieri poterit, ut eam solvamus, nisi de fontibus Taciti fusius verba faciemus. Duas vero in partes disputatiunculam meam dividere mihi in animo est: priore de Taciti fontibus mihi dicendum erit, altera, quam rationem scriptor in componendis orationibus probaverit, exponam. Principio autem dissertationis meae praetermittere non possum, quin Theodoro Birt magnas agam gratias. Confiteri enim cui multum debeas decet.

---

1) G. Schönfeld: ‚de Taciti studiis Sallustianis'. Lips. 1884. p. 52.

2) cf. Tac. Ann. XIV, 29.

Friedensdorf: ‚de orationibus Liviano operi insertis.' Tilsit 1886.

3) cf. Dionys. Halic. iud. de Thucyd. 16.

4) Justin. 38, 3, 11.

Caput I.

De Taciti fontibus.

De fontibus et primariis et derivatis, quibus Tacitus in conscribenda Caesarum historia usus esse videatur, iam multi permulta scripserunt. Ut vero rei natura difficillimae secum fert, non solum variae sed etiam contrariae promptae sunt sententiae. Nam cum quondam nostrum enixe operam navasse fontibus proximis inquirendis percensendisque viri non indocti existimaverint — ut alios omittam, nomino Prutzium[1] —, plerique, qui nostris temporibus de hac re egerunt, prorsus diversam defenderunt partem: Tacitus non modo non primariis fontibus latius usus est, sed ne scriptorum quidem opera, qui eorundem temporum res gestas composuerunt, multa, nedum omnia, inter se contulit. Una quaque in parte unum praeclarissimum scriptorem secutus est quasi ducem neque aliter nisi interdum aut casu commotus aut summatim ceteros quoque inspexit. Quae altera opinio orta est ex comparatione Plutarchi et Dionis Cassii ac Suetonii cum Tacito facta. Plutarchus enim, qui Galbae et Othonis vitarum descriptione eandem tractavit materiam quam noster primo et secundi libri Historiarum dimidio, plurimis locis adeo Taciti narrationi similia, ne dicam verbo tenus congruentia, praebet, ut aut utrumque eundem fontem adhibuisse aut Plutarchi fuisse auctorem Tacitum necesse sit. Qua de similitudine

1) Rob. Ed. Prutz: ‚De fontibus, quos in conscribendis rebus inde a Tiberio usque ad mortem Neronis gestis auctores veteres secuti esse videantur.' Halae 1838.

primus egit Hirzelius[1]), qui acta publica, deinde Wiedemannus[2]), qui Plinium, Peterus[3]) et Mommsenus[4]), qui Cluvium Rufum Nissenus[5]), qui Plinium maiorem communem fuisse fontem censuerunt. Ultimus prodiit eiusdem fontis fautor Puhlius[6]).

Contrariam susceperunt partem Schmidtius[7]), qui illos scriptores fontium magnam multitudinem ante oculos habuisse, Heerenius[8]), Clasonius[9]), Langeus[10]), Kraussius[11]), Lezius[12]), Cornelius[13]), qui Plutarchum ex Tacito hausisse indicant. Cui sententiae etiam Woelfflinius[14]) se addixit.

Sicut Historiae Taciti comparatae sunt cum Plutarchi Galbae et Othonis vitis ita ab excessu divi Augusti libros cum Cassii Dionis et Suetonii relationibus multi contulerunt. Atque quomodo illic eodem hic certatur, utrum Dionis ac Suetonii auctor fuerit noster — nimirum praeter alios — an omnes tres eundem adhibuerint

---

1) Hirzel: ‚Comparatio eorum quae de imperatoribus Galba et Othone relata legimus apud Tac., Plut., Suet., Dion. Cass. cum ad fontium ex quibus hauserint indolem tum ad illorum scriptorum rationem pernoscendam‘. Stuttgart 1851. Progr.

2) Wiedemann: ‚de Tac., Suet., Plut., Cass. Dione scriptoribus imperatorum Galbae et Othonis‘. Berol. 1857.

3) Peter: ‚Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer‘. Halle 1865.

4) Th. Mommsen: ‚C. Tacitus und Cluvius Rufus‘. Herm. IV, 295—325. Berlin 1870.

5) H. Nissen: ‚Die Historien des Plinius‘ Rh. M. XXVI, 497—548. Frankf. 1871.

6) M. Puhl: ‚de Othone et Vitellio imperatoribus‘. Halae 1883.

7) A. Schmidt: ‚de quibusdam auctoribus Romanis, quos in describ. reb. annorum 68 et 69 p. Chr. n. gestis Tac., Plut., Suet. secuti sunt‘. Jenae 1860. progr.

8) Heeren: ‚de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi‘ Gotting. 1820.

9) O. Clason: ‚Plutarch und Tacitus, eine Quellenuntersuchung‘ Berlin 1870.

10) R. Lange: ‚de Tacito Plutarchi auctore‘.

11) L. Krauss; ‚de vitarum imperatoris Othonis fide quaestiones‘ progr. Bipont. 1880.

12) Lezius; ‚de Plutarchi in Galba et Othone fontibus‘ Dorpat. 1884.

13) E. Cornelius; ‚quomodo Tacitus . . . in hominum memoria versatus sit‚. Marpurg. 1888.

14) Annall. Bursiann. 1) 1876 II. p. 771 — 2) 1879 II. p. 250.

fontem. Knabeus[1]), Spengelius[2]), Eglius[3]), Cornelius[4]) priorem, Reichauius[5]), Karstenius[6]), Weidemannus[7]) Christensenius[8]), Schillerus[9]), Froitzheimius[10]), Thammius[11]), Siekelius[12]), Horstmannus[13]), Binderus[14]), Herbstius[15]), Beckurtsius[16]), alteram defenderunt sententiam.

Cum vero ii qui communem probant fontem non modo Tacitum unum potissimum auctorem singulis in partibus secutum esse sed etiam huic uni interdum quidem se quasi in servitutem addixisse contendere cogantur[17]), tertia est prolata sententia, quae medium quiddam, quod hic quoque suum habere videtur ius, tenet. Imprimis enim Nipperdeyius omnes communis fontis fautores, quod quidem ad Plutarchum attinet, iure reiecit ita argumentando: si Tacitum tam serviliter unum auctorem sive Cluvium Rufum sive Plinium sive quemcumque

---

1) C. Knabe: ‚de fontibus hist. imperatorum Iuliorum'. Halae 1864 p. 40

2) L. Spengel: ‚Das erste Buch der Annalen des Tacitus'. Actt. Academ. Monac. class. ph. — hist. VII, 695.

3) Egli: ‚Feldzüge in Armenien in den Jahren 41—63. n. Chr., ein Beitrag zur Kritik des Tacitus' Quaestt. Büdingeriann. de hist. impp. Romm. I, 335.

4) E. Cornelius: l. l. p. 6 sqq.

5) H. Reichau: ‚de fontium delectu, quem in Tib. vita moribusque describ. Vell., Tac., Suet., Dio habuerunt.' Koenigsberg. 1865.

6) Karsten: ‚de Taciti fide in Ann. I—VI.' Utrecht. 1868.

7) R. Weidemann: ‚Die Quellen der ersten VI Bücher von Tacitus Annalen'. Cleve 1868—73. tria progg.

8) Christensen: ‚de fontibus a Cass. Dione in vita Neronis enarranda adhibitis'. Berol. 1871.

9) H. Schiller: ‚Gesch. d. roem. Kaiserzeit unter d. Regierg. des Nero' Berlin 1872. Einleitg. p. 29 ff.

10) Froitzheim: ‚de Taciti fontibus in libro I annalium.' Bonnae 1873.

11) Thamm: ‚de fontt. ad Tib. hist. pertinentt'. Halae 1874.

12) Sickel: ‚de fontt. a Cass. D. in conserr. rebb. inde a Tib. usque ad mort. Vitellii gestis adhibb.' Gotting. 1876.

13) W. Horstmann: ‚Ueber die Quellen d. Tac. in den ersten VI Büch. d. Annalen'. Marburg 1877.

14) Binder: ‚Tacitus u. Tiberius in Ann. I—VI.' Wien 1880.

15) Herbst: ‚Quaestt. Tacc.' ‚Festschr. des Stettiner Stadtgymnasiums.' 1880 p. 25.

16) F. Beckurts: ‚Zur Quellenkritik des Tac., Suet., Cass. Dio: das Vierkaiserjahr.' Braunschweig 1880.

17) cf. Nipperdeyi praef. a. Ann. ed. VIII p. 29 adn. 1).

mavis, exscripsisse Mommseno, Nisseno aliisque credamus, quomodo nostrum tantam adeptum esse auctoritatem, quam veteres ei attribuunt, enucleari potest? Etenim neque peculiari dictione neque eximia arte narrandi una illud iudicium satis explanatur. Quod primum argumentum. Ut alia, quae arbitrio et erroribus Mommseni atque Nisseni nituntur, omittam, alterum restat, de quo statim verba faciam.

Nobis igitur et cum Cornelio[1]), qui quosdam minime parvi momenti locos pressit Plutarchum Tacito usum esse auctore et cum Teuffelio[2]) Dionem inspexisse nostrum persuasum est. Quod vero sequitur, est hoc: comparatione illorum scriptorum nec de fontibus Taciti nec de ratione, qua iis usus est, quicquam explorari potest, quod quidem ad similitudines attinet. Deinde mediam Nipperdeyi sententiam esse probandam existimamus, qui Tacitum quamvis in primarios fontes modice tantum inquisivisse videatur, tamen rerum scriptorum quidem plurimos, quorumque haud ita pauci nobis ignoti sint, habuisse ante oculos et inter se contulisse censet. Licet enim scriptor, ubi de auctoribus dissentientibus verbis incertis: ‚quidam, alii, plerique, plurimi, suntqui etc. tradunt' refert[3]), has differentias ex uno auctore transscripserit[4]), tamen reliqui sunt loci, qui scriptorem, nisi eum mentiri putes, complures auctores inter se comparasse comprobent. (quod est alterum illud argumentum). Tales afferendi sunt:

H. II, 37: Invenio apud quosdam auctores pavore belli seu fastidio utriusque principis . . . . dubitasse exercitus . . . . ego ut concesserim . . . . . . ita neque . . . . . . reor.

Quidam auctores fluctuasse exercitus inter consilia certaminis ponendi et pugnae faciendae tradebant: quem militis animum fuisse noster negat. Neque igitur sine critica ratione auctores exscripsit et alios ante oculos habuit scriptores, qui sive aliter sive nihil de illa re praebebant.

1) E. Cornelius: l. l. p. 2 sqq.
2) Teuffel: Hist. Litt. Romm. 338,4 7.
3) Horstmann: l. l. p. 41.
4) Nissen: l. l. p. 528.

II, 101: scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo monimenta belli huiusce composuerunt, curam pacis et amorem rei publicae corruptas in adulationem causas tradidere: nobis super insitam . . . . . . videntur.

Iterum Tacitus auctores vituperat et emendat. Quodsi omnes propter eandem rem arguit, omnes inspexit, qui quidem potiente rerum Flavia domo monimenta anni undeseptuagesimi composuerunt. Quorum novimus Plinium, Messalam, Cluvium Rufum, Suetonium Paulinum[1].

III, 22: ordinem agminis . . . . adseverare non ausim, quamquam alii tradiderint . . . . .

Hoc quidem loco noster id quod ‚alii' prodiderant non ex uno fonte transscripsit, sed ispe etiam ‚alios' adiit.

25: rem nominaque auctore Vipstano Messala tradam.

Cur Tacitus hic nominat Messalam? Nimirum quia alii nihil de illa re tradebant neque ipse rem obligare potuit.

28: Hormine id ingenium, ut Messala tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim.

Tacitus dubitat, utrum Messala potior auctor sit an C. Plinius. Uterque de eadem re varia contendebant, cum ceteri scriptores consentirent. Qua de causa scriptor nomina affert. Sin vero haesitavit, quisnam esset praeferendus, Messala an Plinius, num Plinium potissimum auctorem, ut Nissenus arbitratur, secutum esse verisimile est? Nonne potius eum ambos inter se contulisse?

III, 51: celeberrimos auctores habeo . . . . . nec quicquam ultra traditur.

Quae verba interpretatione non egent.

IV, 83: origo dei nondum nostris auctoribus celebrata: Aegyptiorum antistites sic memorant: . . . . .

Nostris auctoribus! Tacitus igitur id quod de origine dei tradit, ex Graecis auctoribus hausit. Nam ipsum in hanc rem inquisivisse declarant verba sequentis capitis:

84: nec sum ignarus esse quosdam . . . . . . alii . . . .

Neque Graecos auctores ignoravit:

1) cf. Nipperdey: ad. Ann. II, 101.

Ann. II, 88: Graecorum annalibus ignotus (Arminius), Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus.

Ann. I, 69: tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor.

81: adeo diversa non modo apud auctores sed in ipsius (Tiberii) orationibus reperiuntur.

II, 88: reperio apud scriptores senatusque eorundem temporum actis . . . . .

III, 3: non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio.

Tres hi loci Tacitum et rerum scriptores et fontes primarios adhibuisse demonstrant. Sane ter primo loco auctores nominat, altero Tiberii orationes, acta senatus, acta diurna, fontes proximos. Qua iam ex re sequitur, ut summam tribuerit vim auctoribus. Tamen ne primarios quidem neglexit fontes.

IV, 10: in tradenda morte Drusi, quae plurimis maximaeque fidei auctoribus memorata sunt, rettuli: sed non omiserim eorundem temporum rumorem validum adeo, ut nondum exolescat.

Certis verbis hoc loco noster legentem facit certiorem, qua ratione in auctoribus adhibendis sit usus. Omnes, etiam minoris fidei scriptores inter se contulit; verum nisi quae plurimis maximaeque fidei memorata erant, rettulit.

11: haec vulgo iactata super id quod nullo auctore certo firmantur, prompte refutaveris . . . neque quisquam scriptor tam infensus extitit, ut Tiberio obiectaret, cum omnia alia conquirerent intenderentque.

Quem locum melius perspiciemus, si alium comparabimus:

Ann. I, 1: Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt.

Consideranti non iam licet dubitare, quin Tacitus, antequam Claudiorum historiam componere aggressus sit, enixe operam nava-

verit scriptoribus rerum Claudiae domus qui antecesserant pernoscendis. Cum vero conscribebat, eos interdum quidem contulit.

IV, 53: id ego a scriptoribus annalium non traditum repperi in commentariis Agrippinae filiae.

Similis est hic locus tribus supra adscriptis[1]). Tacitus auctores sequitur, quibuscum quosdam quoque proximos fontes comparat.

IV, 57: causam abscessus quamquam secutus plurimos auctorum ad Seiani artes rettuli, quia tamen . . . . coniunxit, plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit.

Quo de loco idem valet quod de quarti libri capite decimo diximus.

VI, 7: neque sum ignarus a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et poenas . . . . . Nobis pleraque digna cognitu evenere, quamquam ab aliis incelebrata.

Quibus verbis conspicitur primum plerosque scriptores nostrum accurate novisse, deinde praeter auctores alium adhibuisse fontem, ex quo pericula a plerisque omissa haurire potuit. Quem fuisse acta diurna Nipperdeyius[2]), opinatur. At non est, quod acta senatus contemnamus.

32: haud sum ignarus . . . . memorari.

XI, 27: Sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam.

Fontium genus tertium accedit: audita senioribus.

XII, 24: et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu et publicis actis perscriptum.

Publicis actis: inscriptiones esse intellegendas neque acta diurna Nipperdeyius[3]) recte censet.

67: adeo . . . . pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint.

XIII, 20: Fabius Rusticus auctor est scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos . . . . Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt. Sane

---

1) Ann. I, 81. II, 88. III, 3.

2) Nipperdey: Praef. ad. Ann. ed. VIII. p. 21.

4) Nipperdey: ad. Ann. XII, 24,5.

> Fabius inclinat ad laudes Senecae, cuius amicitia floruit. Nos consensum (‚horum' recte addidit Nipperdeyius) auctorum secuturi, quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus.

Quibus verbis solis omnes refutantur, qui Tacitum uni fonti se addixisse putent. Secuturus est noster consensum Fabii Rustici, Plinii, Cluvii Rufi, quod quidem ad Neronis res attinet. Neque vero ‚sequi' idem est quod ‚inspicere'. Id comprobat hic locus:

XIV, 2: tradit Cluvius . . . . . Fabius Rusticus . . . . , memorat. Sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere et fama huc inclinat.

Quod scriptor illic pollicitus est: ‚quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus', hic observat Praeter autem Cluvium, Fabium, Plinium etiam ceteros inspexit auctores. Quibus ‚ceteris' hic Plinium quoque adnumerat.

XIV, 16: contraque prodiderit Corbulo.

53: quod C. Plinius memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamvis absurdum videretur . . . .

Aliquam rem Plinius memorabat, quam ceteri auctores non tradebant: Tacitus discrepantiam adnotat Plinii nomine adiecto.

61: tradit Fabius Rusticus . . . . . .

Hoc loco Fabius recedebat a ceteris.

74: reperio in commentariis senatus Cerialem Anicium . . pro sententia dixisse.

XVI, 6: neque enim venenum crediderim quamvis quidam scriptores tradant.

Quibus iam locis convinci credamus Tacitum non ex uno potissimum auctore hac vel illa in parte hausisse sed plures inter se contulisse. Verum ne eos quidem locos, quibus scriptor verbis incertis: ‚alii, quidam plurimi, plerique, sunt qui etc. tradunt.' de auctorum discrepantia refert, communis fontis fautoribus praedae esse

sinamus. Nam si Nissenus[1]), quem Horstmannus[2]) aliique sunt secuti, tales locos Tacitum ex auctore transscripsisse censet, auctores Taciti, qui plerumque suorum temporum res composuerunt, vix tot scriptores posse ante oculos habuisse non consideravit. Haud pigebit tales locos conscribere: H. I, 14. 17. 41. 42. 44. II, 3. 8. 49. 93. III, 23. 29. 54. 59. 71. 75. 78. IV, 49. 52. 84. V, 2. 3. 4. 6.

Ann. I, 13. 29. 53. 80. II, 17. 29. 40 47. 70. III, 65. 73. IV, 65. V, 9. VI. 11. 23. 28. XI, 4. 14. 21. XII, 67. 69. XIII, 17. XIV. 9. 37. 59. XV, 23. 38. 45. 53. 54. XVI, 6. 3.

Jam vero iidem omnibus locis adscriptis Tacitum forte discessisse a more suo unius auctoris sequendi vel summatim modo fontes clarissimos comparavisse obtinere coguntur[2]) Egomet tot casus me animo concipere non posse confiteor atque num omnes res, de quibus sententias scriptorum discrepasse Tacitus tradit, summis adnumerari possint, valde dubito. Id quod Nipperdeyius[3]) censet, mihi probatum est. Reicienda igitur opinio eorum, qui communes Taciti, Plutarchi, Dionis fontes statuentes nostro nihil relinquunt nisi epitomatoris gloriam. Omnino satis mirum est, quod etiam docti viri omnem fere ‚inquisitionem et collationem' fontium, quas tamen cuique scriptori esse adhibendas Plinius in literis ad Tacitum scriptis quasi iubet[4]), Taciti auctoribus adscribunt atque nostrum tantummodo excerpsisse arbitrantur. Erraverunt sane, qui nostram historiae conscribendae rationem criticam in antiquos historicos transmittentes Tacitum summam tribuisse vim primariis fontibus indagandis iudicaverunt[5]): verum non minus perversum ac perperam est Tacito scriptorum quoque collationem abrogare.

Tacitus multos inspexit et contulit fontes. ‚Quosnam?' interrogas? Jam respondebo, ita tamen ut orationum imprimis rationem habeam. Facilius vero de hac re diiudicabimus, si orationes et epistulas paene innumerabiles dividemus in genera duo. Quorum

---

1) Nissen: l. l. p. 528.
2) Horstmann: l. l. p. 41. 49.
3) Nipperdeyi: praef. a. Ann. ed. VIII. p. 23: ‚Bedeutendes Quellenstudium'.
4) Plin. ep. V, 8, 12.
5) cf. Teuffel: Hist. Litt. Romm. 333,[4] 11.

prius continet orationes in senatu vel a principibus vel a patribus habitas et epistulas ad senatum missas, alterum ceteras, et primum quidem Caesarum, deinde virorum insignium sive apud imperatores sive apud amicos, tum ducum Romanorum exhortationes ad milites, tum militum ipsorum, postremo barbarorum complectitur.

I de orationibus et epistulis Caesarum ac patrum in senatu sive habitis sive recitatis.

Quaeritur, num Tacitus earum notitiam tantummodo ex auctorum operibus hauserit an etiam senatus actis[1]), in quibus genuinae erant perscriptae[2]), usus sit. Nostra vero sententia est haec: Tacitus auctores cum senatus actis perpetuo contulit. Primum enim auctorum libros senatus acta relaturus semper inspexit. Nam, ut recte Horstmannus animadvertit[3]), noster persaepe de vultu habituque et de cogitationibus principum vel patrum verba facit, quibus de rebus nisi senator ipse, qui adfuerat, nemo certum aliquid affirmare potuit. Exempli gratia nonnullos affero locos:

H. I, 85: quidam (patres) vera probra iacere, in clamore tamen, et ubi plurimae voces, aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes.

H. IV, 4: miserat et Mucianus epistulas ad senatum, quae materiam sermonibus praebuere: si privatus esset, cur publice loqueretur? eqs

40: Domitianus . . . . decorus habitu et ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestia accipiebatur.

1) de senatus actis doctissime disseruit: E. Hübner: ‚de senatus populique Romani actis‘, in Annall. Fleckeisenn. tom. suppl. III. Lips. 1860. p. 559sqq.

2) cf. Lamprid. Sev. Alex. 56: Post hoc Romam venit . . . . . . apud senatum primum haec verba habuit. ex actis senatus die VII kalendas Octobres: Persas, patres conscripti, vicimus eqs. Tota neque spuria perscribitur oratio. cf. Front. ep. ad. Marcum II. 1 p. 47 (edit. Rom.)

3) Horstmann: l. l. p. 47.

IV, 43: ardentibus patrum animis.

Ann. I, 11: at patres . . . . . in questus lacrimas vota effundi; ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere . . . . . .

12: perculsus improvisa interrogatione paulum reticuit (Tiberius), dein collecto animo respondit.[1])

II, 37: modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens ad hunc modum coepit (Hortalus).

38: haec atque talia plures per silentium aut occultum murmur excepere.

III, 16: Caesar flexo in maestitiam ore . . . .

15: nullo magis exterritus est (Piso) quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit.

IV, 34: id perniciabile reo et Caesar truci vultu defensionem accipiens.

XIV, 44: sententiae Cassii ut nemo unus contra ire ausus est, ita dissonae voces respondebant numerum aut aetatem aut sexum ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium.[2])

Iam porro accedamus ad eam quaestionem, de qua saepe certatum est atque certatur, num Tacitus senatus commentarios adierit quoque modo iis usus sit. Quod qui negant,[3]) facere non possunt, quin Taciti auctores quidem ex senatus actis hausisse dicant. Neque igitur de antiquorum rerum scriptorum ratione fontium primariorum adhibendorum ambigitur, quam Nissenus multis verbis impugnat,[4]) sed tantummodo de Taciti consuetudine. De cuius usu iudicaturo semper ante oculos versari oportere existimo iudicium, quod noster de rerum Romanarum sub principibus gestarum scriptoribus in Annalium exordio profert[5]):

1) cf. Ann. I, 13.

2) cf. XVI, 29.

3) Nissen, Horstmann aliique.

4) Nissen: l. l. p. 500 sqq.

5) cf. Joseph. Antt. Judd. XX, 8, 3.

Ann. I, 1: Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. Inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

Sui operis principio Tacitus scriptores, qui ante se de imperatoribus inde a Tiberio usque ad Neronis mortem scripserint, metus atque irae et studii incusat ac se ipsum sine ira et studio denuo illorum Caesarum historiam tractaturum esse promittit. Res quamvis ita se habeat, tamen scriptores vituperatos exscripsisse verisimile esse videtur? Nonne iam hoc argumento Tacitum senatus acta percensuisse convincitur? Quorum quamquam curatores a principibus „delecti eorum meditationes introspicere credebantur"[1]), tamen sine dubio incorrupte atque integre tradituro nequaquam erant neglegenda. Minime vero Tacito ea contemnere licuit, qui in Annalibus summam tribuit vim rebus internis.[2]) An fieri potuit, ut de Tiberio rectius iudicaret, quod promittit, quam ceteri scriptores, si senatus commentarios omitteret? Nonne illi quaedam metu aut studio occultasse, quaedam praedicando interpolasse poterant? Atque re vera eos ita fecisse Taciti iudicium comprobat. Unde id sibi finxit? Nimirum ex scriptorum ipsorum operibus. Itaque de Taciti quidem Annalibus vix valet lex, quam de Livio se comprobasse Nissenus iure contendit[3]). Quam ad rem redibo.

Addamus alia argumenta. Sane uno tantum loco, quem mutare non licet, Tacitus acta senatus sese habuisse in manibus testatur.[4]) Hic plerique exceptionem statuunt. Ut vero ea explanari possit, non exponunt. Deinde scriptorem etiam cum Claudii orationem[5]) componeret, genuinam inspexisse comprobari potest. Nam praeterquam quod dispositio ac sententiae illius orationis a Tacito insertae eaedem sunt atque genuinae tabulae Lugudunensi insculptae, etiam eadem verba in eiusdem enuntiati constructione reperiuntur:

---

1) Tac. Ann. V, 4.
2) Tac. Ann. IV, 32. VI, 7.
3) Nissen: l. l. p. 500.
4) Tac. Ann. XV, 74.
5) Tac. Ann. XI, 24.

Tac. Ann. XI, 24: num paenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse?

Claudii or. p. II[1]): tot ecce insignes iuvenes, quot intueor, non magis sunt paenitendi senatores quam paenitet Persicum . . . . legere.

Qua re Tacitum Claudii orationem genuinam, quae erat in senatus commentariis perscripta, novisse ad certum redigitur. Ac si semel scriptor orationem conscripturus genuinam adiit, non est quod in ceteris huius quidem Annalium partis item eum fecisse negemus. — Aliter sane res se habere videtur in prima Annalium parte. Obstant enim duo loci,[2]) quibus Tacitum in primis libris acta non adhibuisse demonstrari credas. Atque Nipperdeyius credidit.[3]) Cuius argumentationem esse reiciendam censeo. Prius de Ann. I, 81 agam:

> de comitiis consularibus, quae tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quicquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores sed in ipsius (Tiberii) orationibus reperiuntur. Modo subtractis candidatorum nominibus originem cuiusque et vitam et stipendia descripsit, ut qui forent intellegerentur; aliquando ea quoque significatione subtracta candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est . . . .

Quo ex loco Tacitum hac occasione senatus acta non inspexisse elucere Nipperdeyius iudicat. Nam si ita fecisset, certe quicquam de comitiis consularibus firmare potuit. At candidatorum nomina in senatus actis perscripta fuisse Tiberio quidem principe unde Nipperdeyius scit? Nonne scriptor hoc loco exponit, cur ‚adeo diversa non modo apud auctores sed in ipsius orationibus reperiantur'? Qua de causa auctores, qui certe aut illis temporibus senatores fuerant aut senatus commentariis erant usi, nihil certi tradiderant? Nonne quia Tiberius in orationibus suis candidatorum nomina subtrahebat aut ‚plerumque eos

---

1) cf. Nipperdey: ed. Ann. II. p. 304.
2) Tac. Ann. I, 81. II, 88.
3) Nipperdey: praef. p. 24.

tantum apud se professos disserebat, quorum nomina consulibus edidisset', ita ut etiam senatorum ipsorum sententiae de nominibus discreparent? Neque cum hac interpretatione Huebnerus[1]) dissentit, quippe qui Tiberii orationem primi libri capitis undecimi scriptorem cognovisse senatus actis credat. Accedit quod Tacitus minime de consulum posterum in annum designatorum nominibus[2]) dubitavit, sed tantummodo de candidatorum. Quae in senatus actis fuisse perscripta Tiberio principe Huebnerus nescit. Neque nos scimus. Scilicet ne alterum quidem illo loco demonstratur: Tacitum hic adisse senatus commentarios. Nam Tiberii orationes editae erant non solum in actis.

Venio ad alterum Annalium locum[3]). Hic codex Mediceus exhibet: ‚reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum Adgandestrii, principis Chattorum, lectas in senatu literas'. Quibus in verbis Jacobum Grimmium et Muellenhoffium[4]) nomen Adgandestrii offendit. Itaque ille ‚ad Gandestrii . . . . . responsum esse' coniecit, quod suo iure Huebnerus[5]) refutavit. Bezzenbergerus deinde ‚apud scriptores senatusque eorundem temporum actis Gandestrii . . . . . . lectas in senatu literas'. proposuit[6]). quam emendationem Huebnerus quoque probavit. Mommsenus denique pro ‚senatusque' scribere maluit ‚senatoriisque'; quod non multum differt: corrupta esse verba sic uti traduntur etiam Mommsenus indicat. Quibus vero de causis? Praeterquam quod Grimmius nomen Adgandestrii enucleari non posse contendit, cum ‚Gandestrius' nullas praebeat difficultates[7]), imprimis habent offensionem voces ‚scriptores senatoresque' duas ob causas. Nam etsi Nipperdeyius[8]) codicis scripturam tueri conatur eo quod illa verba sic interpretatur: scriptores, qui iisdem temporibus senatores fuerant, atque ‚eorundem temporum' ad ‚senatus acta' non quadrare, quia supervacuum sit,

---

1) Hübner: l. l. p. 571.

2) haec sunt: Sisenna Statilius ac L. Libo cf. Tac. Ann. II, 1. Dio LVII. ind.

3) Tac. Ann. II, 88.

4) Hauptii ephemerid. antiquitatt Germm. IX. 1853. p. 224sq.

5) Huebner: l. l. p. 567. Nipperdey: ad. A. II, 88,2.

6) Bezzenberger: ‚emendd. delectt. Tacitt.' Dresden. 1884.

7) Ganter = Männchen der Gans.

8) Nipperdey: praef. p. 24.

opponit, tamen ‚scriptores senatoresque' ferri non posse videtur. Neque enim talis sensus tolerabilis est neque usquam alibi auctores suos fuisse senatores Tacitus vel alii scriptores adnotant. Adde quod noster compluribus locis duplex sibi fuisse fontium genus, scriptores et fontes primarios, ipse testatur: iam illo loco[1]), de quo paulo supra locuti sumus, auctoribus et orationibus Tiberii nititur. Accedunt:

Ann. III, 3: non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio.

IV, 53: id ego, a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae filiae.

H. II, 5: vulgatis traditisque demere fidem non ausim.

Quod deinceps ad ‚eorundem temporum' attinet, sane ‚senatus actis' adscribi supervacaneum erat. Sed haec verba pertinent ad scriptores[2]) et Tacitus cum: reperio apud scriptores eorundem temporum senatusque actis scribere vellet, mutato loco quasi zeugmate usus scripsit: ‚reperio apud scriptores senatusque eorundem temporum actis.' Ad postremum Nipperdeyi sententia ideo minus probabilis esse videtur, quod si eam sequemur, cur Tacitus in prima Annalium parte acta senatus omiserit, cum in altera se adiisse ea ipse testis sit, enucleare non poterimus. Probo igitur lectionem a Bezzenbergero propositam. Quae cum ita sint, priore quoque in Annalium parte nostrum senatus commentarios ante oculos habuisse statuendum existimo. Restant Historiae, quo in opere quod Tacitum senatus acta neglexisse credamus, non habemus.

‚At', dixerit quispiam, ‚Tacitum acta senatus interdum inspexisse quis neget? Verum num ea percensuerit, ambigitur. Inquisitio actorum auctoribus Taciti adscribenda est'. Quod quam falsum sit, demonstrari credo his locis:

Ann I, 73: haud pigebit referre in Falanio et Rubrio . . . . . praetemptata crimina, ut quibus initiis, quanta Tiberii arte gravissimum exitium inrepserit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit, noscatur.

---

1) Tac. Ann. I, 81.

2) cf. Tac. Ann. V, 9: tradunt temporis eius auctores.

II, 27: eius negotii initium, ordinem, finem curatius disseram.

II, 35: res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Cn. Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere

III, 24: casum eius paucis repetam.

65: exequi sententias haud institui nisi insignes per honestum aut notabili dedecore.

IV, 32: pleraque eorum quae rettuli quaeque referam parva forsitan et levia memoratu videri non nescius sum: sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere.

Qui loci illustrantur his verbis:

VI, 7: neque sum ignarus a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et pœnas . . . . Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.

Quae pericula auctores omiserant, unde sumpsit Tacitus nisi ex senatus actis? Ex actis diurnis Nipperdeyius respondet.[1] Cur vero ea praeferat, perspicuum non est.

XIII, 49: non referrem vulgarissimum senatus consultum, quo . . . . . . nisi Paetus Thrasea contradixisset praebuissetque materiam obtrectatoribus sententiae arguendae.

XIV, 64: dona ob haec templis decreta quem ad finem memorabimus? quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, praesumptum habeant, quotiens fugas et caedes iussit princeps, totiens grates deis actas, quaeque rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia fuisse. Neque tamen silebimus, si quod senatusconsultum adulatione novum aut patientia postremum fuit.

Nonne videre putamus nostrum senatus commentarios percen-

---

1) Nipperdey: praef. p. 24.

sentem? An diligentia auctorum est? Vopiscus dicit: ‚usus (sum) . . actis etiam senatus ac populi‘,[1]) auctores Taciti item fecerunt: enimvero Tacitus ipse senatus commentarios neglexit

Reliquum est, ut locos conscribamus, quibus Tacitus modo accurate modo paucis ac tamen propriis verbis de orationum in senatu habitarum et epistularum ibidem recitatarum summis legentem facit certiorem. Nam si scriptor genuinas ante oculos habuit, interdum quidem de ambitu, de stilo et cultu referre eum verisimile sit. Atque re vera tales loci reperiuntur. Tamen etiam tales Tacitum ex auctorum libris transcripsisse communis fontis fautores opponent. Neque quicquam respondere poterimus nisi compilatorem putari non posse Tacitum. Age iam contemplemur ac consideremus locos promissos: ab Annalibus exordiamur:

Ann. I, 11: et ille (Tiberius) varie disserebat, de magnitudine imperii, sua modestia . . . , Plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat; Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura sive adsuetudine, suspensa semper et obscura verba, tunc vero nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur.

Dubitari nequit, quin scriptor Tiberii orationes genuinas ipse noverit. Iam enim ex loco adscripto satis dilucide apparet. Praeterea vero id ipse duobus locis testatur.[2]) Accedit quod noster saepius de stilo orationum a Tiberio in senatu habitarum verba facit. Quas ad orationes Tiberii locos pertinentes, ne dissipentur, conferamus. Quamquam num eas in senatus actis legerit, pro certo affirmari non potest. Nam, ut iam supra diximus, Tiberii orationes editae erant neque solum in actis.

I, 7: literas ad exercitus tamquam adepto principatu misit, nusquam cunctabundus, nisi cum in senatu loqueretur.

Apud patres princeps semper cunctabundus, semper suspensis et obscuris verbis disserebat. Quod iudicium nonnisi qui ipse

1) Vopisc. Prob. 2.
2) Tac. Ann. I, 81. II, 63.

orationes percensuerat, facere potuit. Taciti vero iudicium esse non est quod negemus; nisi forte Tacitina opera tantummodo compilationes esse arbitramur Qualem sententiam esse falsam ratione demonstratur, qua in commutanda oratione Claudii noster usus est; de qua infra disputabimus.

52: rettulit tamen ad senatum (Tiberius) de rebus gestis multaque de virtute eius memoravit magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur. Paucioribus Drusum et finem Illyrici motus laudavit, sed intentior et fida oratione.

Cuius Tiberii orationis et de ambitu et de verborum ornatu Tacitus nos facit scientes: Tiberius enim multa de Germanici virtute in speciem verbis adornata, pauciora de Druso, sed fida oratione memoravit: genuinam ante oculos habuit aut serviliter auctores exscripsit.

II, 36: Tiberius tamen quasi augeretur postestas eius, disseruit. Grave moderationi suae tot eligere, tot differre.

43: igitur haec et de Armenia, quae supra memoravi, apud patres disseruit

48: nobilitatem utriusque pecunia iuvandam praefatus.

59: Tiberius cultu habituque eius lenibus verbis perstricto acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti non sponte principis Alexandriam introisset.

63: ceterum apud senatum disseruit non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. Extat oratio, qua magnitudinem viri, violentiam subiectarum ei gentium, et quam propinquus Italiae hostis suaque in destruendo eo consilia extulit.

Extat oratio! Nonne omnes apud patres habitae in senatus commentariis erant perscriptae? Primo obtutu Tacitum orationum Tiberianarum non ex senatus actis, sed tantummodo editione aliqua notitiam esse consecutum credas. Vulgatas enim fuisse Tiberii

orationes cum noster hoc loco tum Suetonius[1]) testantur. Quam ad editionem Tacitus hic legentes revocat: oratio Tiberii de Maroboduo habita extat inter publicatas, ubi perlegere potes. Plus ex illo loco non sequitur.

III, 47: tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatu scripsit; neque dempsit aut addidit vero, sed fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse. Simul causas, cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxit . . . . . .

51: id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret pietatem . . . . . ., laudaret Lepidum neque Agrippam argueret

56: Tiberius . . . . . . mittit literas ad senatum, quis potestatem tribuniciam Druso petebat . . . . . Sed principio literarum veneratus deos, ut consilia sua rei publicae prosperarent, modica de moribus adulescentis neque in falsum aucta rettulit.

Ii qui Tacito unum potissimum auctorem in prima Annalium parte attribuunt, neque alios fontes neque Tiberii orationes nisi interdum — velut duobus illis locis, quibus eas commemorat — adiisse contendunt. Id si concedamus, quae noster apud illum auctorem de tribus orationibus supra adscriptis legerit necesse est? Brevitate Taciti respecta primum auctorem multo pluribus verbis rettulisse, deinde omnes sententias (solitis sibi ambagibus) secundum genuinum ordinem (sed principio literarum), immo verba ipsa (cf. A. I, 11: in incertum et ambiguum. 52: verbis adornata) servasse statuendum sit. Quod ab omni probabilitate abhorret. Reliquum est ut eadem fere verba apud auctorem extitisse conicias. Tacitus ea transcripsit vel maxime verbis paulo mutatis auctoris iudicium suum fecit. Quam rationem si probemus, Tacito nonnisi compilatoris vel summum epitomatoris gloriam relinqui concedendum est. Tali opinioni assentiri non possumus.

59: Tiberius . . . . . . caerimonias temperavit, nominatim arguens insolentiam sententiae aureasque literas contra patrium morem.

---

1) Suet. Tib. 67.

IV, 4: addidit orationem Caesar multa cum laude filii sui, quod patria benivolentia in fratris liberos foret.

70: secutae insuper literae grates agentis, quod hominem infensum rei publicae punivissent, adiecto trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias, nullo nominatim conpellato.

V, 2: at Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset . . . , magnitudinem negotiorum per literas excusavit . . . Quin et parte eiusdem epistulae increpuit amicitias muliebres, Fufium consulem oblique perstringens.

3: missaeque in Agrippinam ac Neronem literae. quas . . Verba inerant quaesita asperitate, sed non arma, non rerum novarum studium, amores iuvenum . . . . obiectabat

VI, 5: nec multo post literae adferuntur, quibus in modum defensionis repetito inter se . . . . . . postulavit. Insigne visum est earum Caesaris literarum initium; nam his verbis exorsus est: Quid scribam vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam aut quid omnino non scribam hoc tempore, di me deaeque peius perdant, quam perire me cotidie sentio, si scio [1])

Sicut Tacitum uni fonti serviliter se addixisse neque suo, si licuerat, iudicio esse usum probabile non esse videtur, ita non minus perversum putamus, si quis omnia iudicia, quae de orationibus apud patres habitis reperiuntur, a Tacito demum esse facta obtineat. Summam noster tribuit vim auctoribus conferendis: simul vero acta senatus inspexit.

Insigne visum est! Initium earum Tiberii literarum iam ab auctoribus adlatum Tacitus invenit.

VI, 12: misit literas Caesar, modice tribunum increpans, ignarum antiqui moris ob iuventam . . . . .

15: superque ea re senatui scribit, levi cum honore iuvenum. Dein redditis absentiae causis admodum

1) cf. Suet. Tib. 67.

vagis flexit ad graviora . . . . . Factoque large et sine praescriptione generis aut numeri senatus consulto . . . . .

29: sed Caesar missis ad senatum literis disseruit morem fuisse maioribus . . . . .

Omisimus hos potissimum orationum Tiberianarum locos: A. I, 73. II, 52. III, 17. 32. 35. 47. IV, 8. 17. 70. V, 5. 6. VI, 3. 9. 27. Iam porro ad aliorum senatorum orationes animos attendamus.

Ann. I, 12: rursum Gallus . . . . . . non idcirco interrogatum ait, ut divideret, quae separari nequirent, sed . . . Addidit laudem de Augusto Tiberiumque ipsum victoriarum suarum . . . . . admonuit.

13: post quae L. Arruntius haud multum discrepans a Galli oratione perinde offendit.

Si Tacitus auctorem non exscripsit, aut accuratissimam relationem et de Galli et de Arruntii orationibus apud eum legit aut genuinas ipse ante oculos habuit. Cum vero scriptor orationes, quas quidem executus est, ipse composuerit, ut postea demonstrabitur, neque dubitari possit, quin auctores item fecerint, nostrum, ut orationes et epistulas cognosceret, auctores modo adhibuisse vix verisimile esse videatur.

II, 33: proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta a Q. Haterio consulari . . . . .

III, 31: certabantque orationibus et memorabantur exempla maiorum, qui iuventutis inreverentiam gravibus decretis notavissent, donec Drusus apta temperandis animis disseruit.

III, 68: ille (Piso) multum de clementia principis praefatus aqua atque igni Silani interdicendum censuit . . . . . Eadem ceteri . . . . .

V, 6: quattuor et quadraginta orationes super ea re habitae, ex quis ob metum paucae, plures adsuetudine . . . . .

Si Tacitum omnes has quattuor et quadraginta orationes perlegisse negemus, tantam industriam auctoribus attribuamus necesse est.

VI, 2: Scipiones haec et Silani et Cassii isdem ferme aut

paulum immutatis verbis adseveratione multa censebant.

VI, 24: vix fides, nisi quod Attii centurionis et Didymi liberti epistulae servorum nomina praeferebant. . Etiam sua verba centurio saevitiae plena . . . vocesque deficientis adiecerat, quis primo quasi per dementiam funesta Tiberio, mox ubi exspes vitae fuit, meditatas compositasque diras inprecabatur.

Fieri non potest, ut omnes locos, quibus scriptor de patrum sententiis, de epistulis in senatu recitatis accuratissime refert, congeramus; nisi forte librarii munere fungi volumus. Quodsi dubitari nequit quin Tacitus senatus actis semel atque iterum usus sit, iam locis, quos adscripsimus[1]), ea perpetuo contulisse apparere credamus.

Venio ad alteram Annalium partem.

XI, 6: deinde obstrepentibus iis, quibus ea contumelia parabatur, discors Suillio Silius acriter incubuit, veterum oratorum exempla referens, qui famam et posteros praemia eloquentiae cogitavissent.

15: rettulit (Claudius) deinde ad senatum super collegio haruspicum, ne vetustissima Italiae disciplina per desidiam exolesceret . . . . . .

XII, 9: Pollio haud disparibus verbis ac nuper Vitellius[2]) censet.

11: ubi haec atque talia dissertavere, incipit orationem Caesar de fastigio Romano Parthorumque obsequiis; seque divo Augusto adaequabat . . . . . . omissa Tiberii memoria, quamquam is quoque miserat. Addidit praecepta . . . . .

Haud disparibus verbis! de Vitellii oratione tam accurate Tacitus rettulit, ut genuinam eum ante oculos habuisse credendum sit. Porro iisdem ferme verbis ac nuper Vitellium censuisse Pollionem tradit. Etiam Pollionis verba ipsa novisse nostrum patet.

Omissa Tiberii memoria! Quod iudicium si Taciti est, nititur

---

1) praeterea conferantur: Ann. I, 12. 13. 77. III, 59. VI, 38.

2) cf. XII, 5.

genuina Claudii oratione ab eo perlecta. An eius auctores veras orationes ex senatus actis transcripserunt?

XII, 22: exim Claudius inaudita rea multa de claritudine eius apud senatum praefatus . . . . .

25: habita apud senatum oratione in eundem, quem a liberto acceperat, modum.

61: rettulit (Claudius) dein de immunitate Cois tribuenda multaque super antiquitate eorum memoravit.

XIII, 4: de auctoritate patrum et consensu militum praefatus consilia sibi et exempla capessendi egregie imperii memoravit (Nero).

11: clementiam suam obstringens crebris orationibus (Nero), quas Seneca testificando, quam honesta praeciperet, vel iactandi ingenii voce principis vulgabat.

Tacito Neronis orationes a Seneca compositas notas fuisse verisimillimum est, etsi ex senatus commentariis notitiam earum eum esse consecutum neges. Sicut enim noster Neronis carmina ipse[1]) in manibus habuit, ita orationes quoque principis, quae certe vulgatae erant,[2]) inspexisse magnam habet verisimilitudinem, nisi eas legisse Tacitum in senatus actis praeferas.

XIV, 10: literasque ad senatum misit (Nero), quarum summa erat repertum cum ferro percussorem Agerinum . . Adiciebat crimina . . . . Temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione . . . . .

XV, 35: secutaque Neronis oratio ex more, quamvis sontem et defensioni merito diffisum victurum tamen fuisse, si clementiam iudicis exspectasset.

XVI, 7: igitur missa ad senatum oratione removendos a re publica utrosque disseruit obiectavitque Cassio, quod . . . . . coluisset.

Longum est, exequi hos locos: XII, 10. 19. 20. 38. 52. XIV, 18. 59. XV, 72. 73. XVI, 27.

---

1) cf. Ann. XIV, 16: quod species ipsa carminum docet, non impetu et instinctu nec ore uno fluens. cf. Suet. Nero. 52.

2) cf. Suet. Nero 7.

Devenimus ad Historias:

H. I, 19: inde apud senatum non comptior Galbae, non longior quam apud militem sermo: Pisonis comis oratio.

De sermonis longitudine et habitu quis iudicare potuit nisi qui germanum vidit? Scilicet Tacitus Galbae sermonem apud patres comparat cum eiusdem apud milites oratione, ita ut huius quoque verba ipsa, si quidem illius, eum ante oculos habuisse oportere videatur.

I, 18: apud frequentem militum contionem imperatoria brevitate adoptari a se Pisonem exemplo divi Augusti et more militari, quo vir virum legeret, pronuntiat.

Sed cum id a probabilitate abhorreat, Tacitum auctorum relationi de Galbae contione tantam tribuisse fidem credamus, ut Galbae apud patres sermonem conferre potuerit. Nihilominus iterum communis fontis fautores opponere valent Tacitum ex auctoribus transcripsisse.

II, 10: dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac nocentem more tamen audiendum censebant (patres).

55: recitatae Fabii Valentis epistulae ad consules scriptae haud immoderate.

III, 37: mox senatum composita in magnificentiam oratione adlocutus exquisitis patrum adulationibus attollitur . . . . . nulla in oratione cuiusquam erga Flavianos duces obtrectatio: errorem inprudentiamque exercituum culpantes, Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant.

Si Taciti sunt verba: suspensi et vitabundi circumibant, genuinas perlustraverit orationes necesse est.

IV, 3: addidere alacritatem Vespasiani literae tamquam manente bello scriptae. ea prima specie forma; ceterum, ut princeps loquebatur, civilia de se, de re publica egregia.

7: paulatimque per altercationem ad continuas et infestas orationes provecti sunt.

40: quo die senatum ingressus est Domitianus, de

absentia patris fratrisque ac iuventa sua pauca et modice disseruit.

IV, 44: proximo senatu inchoante Caesare de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus, censuit Mucianus prolixe pro accusatoribus; simul eos qui coeptam, deinde omissam actionem repeterent, monuit sermone molli et tamquam rogaret.[1])

Omnia argumenta, quae attulimus, si complectemur, non minus esse verisimile concedemus Tacitum senatus acta cum auctorum relationibus perpetuo contendisse quam eum epitomatoris tantum munere esse functum. Haec de senatus commentariis. Eodem vero modo quo de his dubitatur de diurnis actis, num Tacitus ea adierit. Enimvero ipse urbis acta affert: sed uno tantum loco:

Ann. III, 3: matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam, cum super Agrippinam et Drusum et Claudium ceteri quoque consanguinei nominatim perscripti sint.

Casu commotum hic nostrum urbis acta explicasse plerique censent. Immo Nipperdeyius[2]) per occasionem modo Tacitum fontes primarios inspexisse arbitratur. Attamen si Plinium vel omnino Taciti auctores populi acta adiisse probabile existimemus et scriptores historiae Augustae sine dubio iis usos esse consideremus, occasionis sententiam probare cunctemur. Neque enim sine causa Nipperdeyius[3]) Tacitum vituperare suspicatur Plinium his verbis:

XIII, 31: Nerone iterum L. Pisone consulibus pauca memoria digna evenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Caesar extruxerat, volumina implere, cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare.

---

1) praet. cf. H. II, 91. IV, 4. 6. 8. 9. 43.

2) Nipperdey: praef. p. 25.

3) Nipperdey: praef. p. 28.

Sin vero ita est, dubitari non potest, quin Plinius ‚talia' ex urbis actis congesserit.[1] Adscribimus deinceps scriptorum historiae Augustae locos[2]):

Vopisc. Prob. 2: Usus (sum) . . . . actis etiam senatus ac populi.

Lamprid. Sev. Alex. 6—12: Interest retexere orationem qua (Severus Alexander) nomen Antonini et Magni delatum sibi a senatu recusavit. quam priusquam referam, addam acclamationes senatus, quibus id decretum est, ex actis urbis ante diem pridie nonas Martias.

Sed quid alios commemoramus scriptores? nonne de Tacito ipso Plinius amicus nos facit certiores:

Plin. epist. VII, 33,3: Demonstro ergo, quanquam diligentiam tuam fugere non possit cum sit in publicis actis, demonstro tamen . . . . .

Luce clarius est Tacitum perpetuo acta diurna contulisse. Illa enim epistula Tacito scripta est. Quodsi res ita se habet, num scriptorem senatus commentarios per occasionem tantum evolvisse credi potest? ‚At', dixerit quispiam,[3] ‚Tacitus sui temporis res compositurus acta publica percensuit, cum in tradendis priorum temporum factis nonnisi auctorum relationes inter se comparaverit. Quae ratio quamvis de multis scriptoribus valeat, de Tacito non valet. Quod comprobatur illo Annalium loco, de quo supra diximus.[4])

Scilicet alias in urbis actis fuisse perscriptas orationes praeter principum[5]) nescimus. Neque igitur acta diurna nimis ad nostram pertinent rem.

Minoris denique momenti est, quae Tacitus de orationibus ex iis, qui dicentibus ipsi interfuerant, audire potuerit. Attamen si quid de Agricolae oratione scicrit, unde audiverit nisi ex socero ipso?

1) cf. Huebner: l. l. p. 614.

2) cf. Plin. n. h. X, 2, 5. VIII, 40, 145. VII, 13, 60.

3) cf. Nissen: l. l. p. 500.

4) Ann. I, 1.

5) cf. Huebner: l. l. p. 619 sq.

II. de orationibus extra senatum habitis:

Id quod Tacitus de ceteris orationibus comperit, apud auctores eum invenisse statuendum est. Nam neque ipse alios proximos fontes nominat et permulti loci supra allati, quibus de rerum scriptoribus verba facit, Tacitum summam tribuisse vim scriptoribus eorundem temporum conferendis demonstrant. Itaque quaeritur, qui Taciti auctores fuerint quaeque de orationibus tradiderint. Neque tamen ea quae satis accurate iam alii[1]) de his dixerunt, repetere mihi in animo est. Satis erit nomina eorum adscribere, ut deinceps fusius de altera quaestione disseram. Coniungam autem a Tacito ipso commemoratos cum iis, quos eum praeterea adhibuisse verisimile est:

1) C. Plinius: Ann. I, 69: ,Germanicorum bellorum scriptor'.[2])

2) Aufidius Bassus et Servilius Nonianus: clarissimi historiae priorum principum scriptores, quorum uterque fortasse usque ad Claudium res imperatorum composuit. Aufidius libros quoque belli Germanici conscripsit.

3) Seneca rhetor: ,ab inito bellorum civilium, unde primum veritas retro abiit, paene usque ad mortis suae diem'.[3])

4) Tiberii et Claudii Caesarum commentarii: Tac. XIII, 43,[4]) Agrippinae: Tac. A. IV, 53.

5) Suetonii Paulini commentarii.[5])

6) Cluvius Rufus et Fabius Rusticus.

Tot rerum scriptores novimus, quos usque ad Claudii mortem Taciti auctores fuisse conicere possumus. Neque tamen iniuria Nipperdeyius nostrum multo plures inspexisse videri dicit, quorum ne nomina quidem nobis tradita sunt.

Sequuntur scriptores, qui rerum inde a Neronis temporibus auctores Tacito praesto fuerunt:

---

1) Nipperdey: praef. p. 25—31, Nissen: l. l. p. 497—99, aliique.

2) cf. Plin. epist. III, 5: bellorum Germaniae viginti, quibus omnia, quae cum Germanis gessimus, bella conlegit. Inchoavit, cum in Germania militaret.

3) cf. Senec. philos. fr. XV (Haase).

4) cf. Suet. Tib. 61. Claud. 41.

5) cf. Plin. h. n. V, 1, 14.

7) iidem Cluvius Rufus et Fabius Rusticus[1]): Cluvius a Gaio, Fabius a Claudio exorsi historiam principum scripsisse videntur. (Tac. Ann. XIII, 20. XIV, 2. XV, 61. H. III, 65).

8) C. Plinius maior[2]): ‚a fine Aufidii Bassi triginta unus' (Tac. XIII. 20. XV, 53. H. III, 28). Quod Plinii opus usque ad annum septuagesimum primum processisse verisimile est.[3])

9) Domitii Corbulonis commentarii: de expeditionibus ab eo in Parthos factis inde ab anno 55 usque ad 63 p. Chr. n. (Tac. XV, 16).

Restant Historiarum auctores:

10) Cluvius Rufus et C. Plinius: quorum opera paulo supra adscripsimus.

11) Vipstanus Messalla: (Tac. H. III, 25. 28).

12) Vespasiani commentarii et Antonii Juliani opus[4] : uterque de bello Iudaico scripsit.

Quos Vespasiani commentarios Iosephus calumniatores historiae suae reiciens spectat[5]) Illi enim ‚τῶν αὐτοκρατόρων ὑπομνήματα' legisse sese contenderant; Iosephus vero iis nititur, quae ipse gesserit vel viderit quaeque expertus sit.

Ceterum comparatione Iosephi librorum cum Taciti operibus, quam de orationibus institui, nihil fere explorare potui. Nam omnes ferme sermones, de quibus noster refert, Iosephus tacet. Atque orationes, quas hic tradit, praecipue Cai et Claudii principum, in libris Taciti deperditis, si quidem scriptor eos inseruit, ext iterunt. Attamen unum exemplum afferre possumus:

Ioseph. de bell. Iud. IV, 11, 2:

‚Συναγαγὼν δὲ (Καικίννα) τοὺς ὑφ'αὑτὸν ἑκατοντάρχους καὶ χιλιάρχους ἐνῆγε μεταστῆναι πρὸς τὸν Ἀντώνιον, ταπεινῶν μὲν τὰ Οὐϊτελλίου πράγματα, τὴν Οὐεσπασιανοῦ δὲ ἰσχὺν ἐπαίρων eqs.

1) cf. Ioseph. Antt. XIX, 1,13. Plin. ep. IX, 19,5. Plut. Otho 3.

2) Plin. ep. III, 5, 6.

3) Plin. n. h. praef. § 20.

4) cf. J. Bernays: ‚Sulpicius Severus' p. 56.

5) Ioseph. de antiqu. Iudd. c. A. I, 10

Tac. Hist. III, 13: At Caecina . . . . . primores centurionum et paucos militum . . . . . in principia vocat. ibi Vespasiani virtutem viresque partium extollit et transfugisse classem, in arto commeatum . . . . ; atque omnia de Vitellio in deterius.

Summa sermonis apud Tacitum eadem est quae apud Iosephum: Caecina enim Vitellii res obtrectat, Vespasiani potentiam extollit. Verum singula enuntiata alia sunt. Itaque si communes Iosephi et Taciti fontes hac de re statuimus — neque est quod non faciamus — noster sententiam sermonis retinuit, ex singulis autem dictis ea quae ei apta esse visa sunt elegit.

Sin vero Tacito alios adscribimus fontes quam Iosepho, id quidem, quod uterque tradit, fide dignum est.

Iam vertamus nos ad quaestionem, qua ratione illi Taciti auctores de orationibus rettulerint et quatenus eorum relationes fidem habuerint. Primum autem plerosque iisdem temporibus, quorum res descripserunt, vixisse vel ipsos rebus interfuisse, immo eas ipsos gessisse animo inscribendum est. Fieri igitur potuit, ut de plurimis orationibus certum aliquid traderent. Ac re vera eos ita fecisse ex locis satis apparet, quibus noster de summis earum nos facit scientes:

a) loci qui ad orationes ab imperatoribus vel ad milites vel ad singulos et a viris in re publica praeclaris sive apud Caesares sive apud amicos habitas pertinent:

H. I, 17: sermo (Pisonis) erga patrem imperatoremque reverens, de se moderatus.

Tria sunt Tacitinae orationi propria: varietas, color poeticus, brevitas. Brevitatis semper rationem habeat necesse est, qui de auctoribus Taciti ex ipsius operibus aliquid enucleare velit. Nam et Historiae et Annales quasi abbreviationes sunt artificiosae, ita quidem ut qua de re alii scriptores multis disserant verbis, de eadem Tacitus pauca sed quae prorsus sufficiant, promat. Cuius rei exemplum afferre liceat: Plinius ‚a fine Aufidii Bassi triginta uno‘ libris triginta unius annorum[1]) res gestas composuit, cum Tacitus duo-

1) cf. Detlefsen: Phil. 34, 48. inde ab a. 41—71 p. Chr. n.

deviginti Annalium libris quinquaginta quattuor annorum historiam tractaverit: neque ambo aliorum temporum res tradebant. Multo accuratius auctores de orationibus vel epistulis dixisse etiam Tacitus ipse testatur. Persaepe enim relatione de sermone aliquo facta invenimus verba: haec atque talia, haec et plura. — —

Quam rationem iam primus locus adscriptus illustrat: Pauciora de Pisonis sermone nemo facere potuit verba; ac tamen prorsus sufficiunt.

H. I, 18: apud frequentem militum contionem imperatoria brevitate adoptari a se Pisonem exemplo divi Augusti et more militari, quo vir virum legeret, pronuntiat (Galba).

74: crebrae interim et muliebribus blandimentis infectae ab Othone ad Vitellium epistulae offerebant pecuniam et gratiam . . . . . .

90: mox vocata contione maiestatem urbis et consensum populi ac senatus pro se attollens, adversum Vitellianas partes modeste disseruit, inscitiam potius legionum quam audaciam increpans, nulla Vitellii mentione sive ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis sibi metuens contumeliis in Vitellium abstinuit quando, ut . . . . ita in rebus urbanis Galeri Trachali ingenio Othonem uti credebatur; et erant qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre et ad implendas populi aures latum et sonans.

Genuinam Othonis orationem Tacitus ignoravit. Ipse enim non iudicat de genere orandi. Verum accuratam et fide dignam apud auctores repperit relationem.

II, 48: mox Salvium Cocceianum . . . . ultro solatus est laudando pietatem eius, castigando formidinem (Otho) . . . . .

57: vocata contione virtutem militum laudibus cumulat (Vitellius).

69: transgressus in castra ultro pietatem militum conlaudavit (Vitellius).

H. II, 80: militariter locutus (Vespasianus).

90: postera die tamquam apud alterius civitatis senatum populumque magnificam orationem de semet ipso prompsit, industriam temperantiamque suam laudibus adtollens (Vitellius).

96: in hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit praetorianos nuper exauctoratos insectatus, a quibus falsos rumores dispergi nec ullum civilis belli metum adseverabat.

III, 36: frequenti contione pietatem militum laudibus cumulat (Vitellius).

68: pauca et praesenti maestitiae congruentia locutus (Vitellius).

70: Vitellius pauca purgandi sui causa respondit, culpam in militem conferens . . . . . .

81: obviae fuere et virgines Vestales cum epistulis Vitellii ad Antonium scriptis: eximi supremo certamini unum diem postulabat: si moram interiecissent, facilius omnia conventura . . . . . . Vitellio rescriptum Sabini caede et incendio Capitolii dirempta belli commercia.

Ubique Tacitus tantummodo sententiam, argumentum orationum reddit. Ter Vitellium facit pietatem vel virtutem militum conlaudantem. Attamen quin certiora, accuratiora apud auctores invenerit, dubium vix esse potest. Nam qui ipse, dum aliqua res agitur, affuit, plura solet loqui quam qui legendo eam cognoscit et examinat. Praetermisimus hos potissimum locos: H. II, 1. 4. 39. 59. 75. 96.

Ann. I, 25: literas patris recitat (Drusus), in quis perscriptum erat . . . . .

II, 26: sed **crebris epistulis** Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum! satis iam eventuum . . .

Conicere licet Tacitum in referendis Germanici rebus Agrippinae commentariis esse usum. Ibidem sine dubio Tiberii crebrae ad Germanicum scriptae epistulae sive ipsis verbis sive adumbrata sententia perscriptae erant. Tacitus abbreviat: una refert de crebarum summa.

II, 70: componit epistulas (Germanicus), quis amicitiam ei (Pisoni) renuntiabat; addunt plerique iussum provincia decedere.

Addunt plerique! Etiam de epistularum sententia noster auctorum relationes comparat.

XIII, 3: die funeris laudationem eius exorsus est (Nero), dum antiquitatem generis, consulatus ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipse et ceteri; liberalium quoque artium commemoratio et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse pronis animis audita: postquam ad providentiám sapientiamque flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret.

Aut genuinam Tacitus ipse ante oculos habuit, aut auctor Neronem audivit laudantem. Illud probabile esse videtur, si Senecam certe orationes suas vulgasse consideremus; id, si verba perpendamus haec: ‚intentus ipse et ceteri; pronis animis audita; nemo risui temperare'. Sed quoniam illud comprobari non potest, hic quoque Tacitum niti auctoribus statuendum est.

XVI, 6: laudavitque ipse (Nero) apud rostra formam eius et quod divinae infantis parens fuisset, aliaque fortunae munera pro virtutibus.[1])

b) loci qui ad exhortationes ducum Romanorum apud milites promptas, ad militum ipsorum, barbarorum ceterorumque sermones spectant:

Gravissimos tantum exequar locos:

H. I, 74: addidit epistulas Fabius Valens nomine Germanici exercitus . . . . . de viribus partium magnificas et concordiam offerentes; increpabat ultro quod tanto ante traditum Vitellio imperium ad Othonem vertissent.

---

1) praet. cf. Ann. I, 78. III, 67. IV, 69. XI, 20. 35. XII, 19. 69. XIV, 22. 29. XV, 3. 8. 25. XVI, 2. 14. 17. 24.

H. I, 82: manipulatim adlocuti sunt Licinius Proculus et Plotius Firmus praefecti ex suo quisque ingenio mitius aut horridius.

II, 80: in adulationem effusos adloquitur (Mucianus) satis decorus etiam Graeca facundia omniumque, quae diceret atque ageret, arte quadam ostentator. nihil aeque provinciam exercitumque accendit quam quod adseverabat . . . . . .

82: donativum militi neque Mucianus prima contione nisi modice ostenderat.

III, 8: eadem Mucianus crebris epistulis monebat incruentam et sine luctu victoriam et alia huiuscemodi praetexendo.

Alia huiuscemodi! Novum Tacitinae abreviationis exemplum.

9: misit epistulas Caecina temeritatem victa arma retractantium incusans. simul virtus Germanici exercitus laudibus attollebatur, Vitellii modica et vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia: nihil prorsus, quod aut corrumperet hostem aut terreret. Flavianarum partium duces . . pro Vespasiano magnifice, pro causa fidenter, de exitu securi, in Vitellium ut inimici praesumpsere . . atque ipsum Caecinam non obscure ad transitionem hortabantur recitatae pro contione epistulae . . . . .

III, 32: et vocatos ad contionem Antonius adloquitur, magnifice victores, victos clementer, de Cremona in neutrum.

52: ad Primum et Varum media scriptitabat (Mucianus), instandum coeptis aut rursus cunctandi utilitates edisserens atque ita compositus, ut ex eventu rerum adversa abnueret vel prospera adgnosceret. Plotium Griphum . . . . . monuit.

V, 16: exhortatio ducum non more contionis apud universos sed ut quosque suorum advehebantur: Cerialis veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias . . . . .

Accuratas legisse relationes apud auctores Tacitum patet. Quid vero de fide earum iudicandum est? Tacitus ipse etiam cum orationes componebat, primas, ut postea comprobabitur, servabat sententias. Neque est quod auctores a tali more recessisse putemus.

Ann. I, 29: Drusus orto die et vocata contione quamquam rudis dicendi nobilitate ingenita incusat priora, probat praesentia, negat se terrore et minis vinci: flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet.

34: tunc a veneratione Augusti orsus flexit (Germanicus) ad victorias triumphosque Tiberii.

II, 55: at Cn. Piso . . . . civitatem Atheniensium . . . . . oratione saeva increpat, oblique Germanicum obstringens, quod . . . .

58: ad ea Germanicus de societate Romanorum Parthorumque magnifice, de adventu regis et cultu sui cum decore ac modestia respondit.

XV, 26: tum lustratum rite exercitum ad contionem vocat (Corbulo) orditurque magnifica de auspiciis imperatoris rebusque a se gestis, adversa in inscitiam Paeti declinans, multa auctoritate, quae viro militari pro facundia erat.

XV, 28: exin Romanus (Corbulo) laudat iuvenem omissis praecipitibus tuta et salutaria capessentem.

Corbulo, vir militaris, commentarios suos sine arte conscripsit rhetorica. Neque igitur orationes compositas inseruit. Eo maior fuit eius auctoritas.[1])

H. II, 21: utrimque pudor, utrimque gloria et diversae exhortationes, hinc legionum et Germanici exercitus robur, inde urbanae militiae et praetoriarum cohortium decus attollentium; illi ut segnem et desidem

1) praet. cf. H. I, 66. 69. II, 20. 23. 30. 44. 100. III, 3. 13. 24. 57. 60. 63. 78. 81. 82. IV, 13. 19. 25. 31. 32. 46. 72. Ann I, 19. 39. 48. 67. II, 14. 65. 72. XII, 48. XV, 13. 14. 17.

et circo ac theatris corruptum militem, hi peregrinum et externum increpabant . . . . .
H. II, 28: orbari se fortissimorum virorum auxilio . . . .
Alia taceamus exempla.

H. IV, 14: a laude gloriaque gentis orsus iniurias et raptus et cetera servitii mala enumerat (Civilis Batavus) . .
68: is (Iulius Valentinus, natione Gallus) meditata oratione cuncta magnis imperiis obiectari solita contumeliasque et invidiam in populum Romanum effudit, turbidus miscendis seditionibus et plerisque gratus vecordi facundia.
V, 17: nec Civilis silentem struxit aciem, locum pugnae testem virtutis ciens: stare Germanos Batavosque super vestigia gloriae cineres ossaque legionum calcantes . . . . .
Ann. II, 10: cernebatur contra minitabundus Arminius proeliumque denuntians. Nam pleraque Latino sermone interiaciebat.

Locis adscriptis conspicitur auctores Taciti etiam de barbarorum sermonibus haud ita paucis verbis disseruisse. Atque tam certae et firmae sunt Taciti relationes, ut prorsus fide dignae esse videantur. Sed iam suspicio movetur, si legimus haec:
II, 15: nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari, hos esse Romanos, Variani exercitus fugacissimos, qui, ne bellum tolerarent, seditionem induerint . . . . .

Aut! Si quid noster apud auctores invenit, maximam quidem partem fictum erat.
XV, 28: ille (Tiridates) de nobilitate generis multum praefatus cetera temperanter adiungit: iturum quippe Romam laturumque novum Caesari decus, non adversis Parthorum rebus supplicem Arsaciden.[1])

1) praef. cf. H. I, 65. IV, 7. 69. 75. A. II, 65. XV, 24.

Sicut Tacitus ipse ita auctores eius plerumque oratione obliqua — verum multo accuratius — de sermonibus et epistulis rettulerunt; orationes autem directas, si quas inserturi erant, composuerunt. Quod demonstratur et ipsa antiquorum rerum scriptorum ratione et Taciti testimoniis:

H. I, 8: vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus (Cluvius Rufus).

Agr. 10: Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores.

dial. 23: quibus eloquentia Aufidii Bassi aut Servilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet.

Neque pluris, quod fidem attinet, Tacitus auctorum relationes aestimavit: Galbae enim orationem his iuducit verbis: ‚in hunc modum locutus fertur.'

Caput II.

Quomodo Tacitus orationes composuerit.

Quoniam igitur, quibus ex fontibus Tacitus orationes inserturus hausisse videatur, explanavimus, nova statim neque minoris momenti existit quaestio. Nam cum antiqui rerum scriptores, ut supra memoravimus, in componendis orationibus varie egerint, quaeritur, qua ratione noster ductus sit. Quatenus intextae congruunt cum genuinis vel cum iis, quas Tacitus apud auctores repperit? Quid scriptor retinuit, quid commutavit? Numquid finxit? Atque nobis hanc in rem inquisituris maximae utilitati laetitiaeque est, quod oratio a Claudio Caesare de iure honorum adipiscendorum Galliae comatae re vera apud patres habita, quam a Tacito Annalium libro undecimo (c. 24) insertam videmus, aeris tabulae Luguduni insculpta est conservata.[1]) Gaudium sane deprimitur, si minime integram extare eam deliberamus. Tabula enim in duas partes divisa superioribus marginibus utriusque paginae lacunas habet. Neque tamen talis mutilatio nimis valet. Luguduni tabula effossa est; Claudius ibi natus erat: principem ipsum eo misisse eam fortasse nostro iure conicere possumus. Aut, si mavis, Lugudunenses

1) typis expressam invenies in edd. a) Orelli-Baiteri: I, 341. b) Nipperdeyi: vol. II p. 302 sqq. ed. VIII. cur. Andresen. cf. c) Boissieu: ‚Inscriptions de Lyon'. Lyon 1846. p. 136. I. B. Monfalcon: ‚La table de Claude'. Paris 1853. de la Saussaye· ‚Les tables claudiennes'. Lyon 1873.

sua sponte tabulam statuerunt. Iam ad comparationem ipsam accedamus. Et primum quidem quod ad initium attinet, non displicet Rodenwaldtii suspicio[1]) censentis Claudium in genuina quoque oratione a maiorum exemplo esse exorsum — id vox ‚equidem' demonstrare videtur neque vero exordio deleto nimiam rationem deperditarum partium haberi velimus, quod Rodenwaldtius parum evitat. Prooemium autem Taciti est hoc:

‚Maiores mei, quorum antiquissimus Clausus origine Sabina simul in civitatem Romanam et in familias patriciorum adscitus est, hortantur, uti paribus consiliis rem publicam capessam transferendo huc, quod usquam egregium fuerit'.

Unum igitur continet enuntiatum. Claudius vero ipse sine dubio fusius disseruit. Maioribus enim superbiebat.[2]) — Omnia verba deinde, quae fortasse neque apta neque plane cum re consentanea a Caesare facta in priore tabulae parte extant, quaeque eo spectant, ne senatores ‚quasi novam rem introduci exhorrescant' Tacitus omisit, nisi quod in fine orationis brevissime Claudium facit loquentem haec:

‚Omnia, patres conscripti, quae nunc vetustissima creduntur, nova fuere. Plebei magistratus post patricios,[3]) Latini post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos. Inveterascet hoc quoque; et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit'.

Neque haec quidem verba prorsus ad eandem rem pertinent. Nam cum Claudius priore parte de rebus in universum novatis loquatur, haec iam civitatis prolatae rationem habent. Itaque relinquuntur quattuor tantum verba: ‚advenae in nos regnaverunt', quibus scriptor id exprimit, quod princeps multo pluribus quam centum sua studia iactans profert.[4]) Res cum ita se habeat, Tacitus Claudii satis ineptam verbositam corripuit neque aliud

1) Rodenwaldt: l. c. p. 11.

2) cf. Suet Claud. 24.

3) cf. Claud. or: ‚Quid communicatos postremo cum plebe honores non imperii solum sed sacerdotiorum quoque?'

4) ‚Quondam reges — priori populo factitatum est'.

servavit quam argumentum, quod verbis Claudianis est submissum, ita tamen ut civitate promota exemplo rerum saepe novatarum usus sit. Quae res Rodenwaldtium fugit, qui ea quae Tacitus de civitate magis magisque usque ad Alpes prolata dicit, cum iis verbis, quae Claudius de rebus omnino semper in re publica Romana novatis facit, commiscuit.[1]) Neque enim quisquam opponat novatas res et civitatem promotam tam accurate nec esse distinctas nec posse segregari; quod equidem non nego. At Claudius ipse discrevit: ‚sed illa potius cogitetis, quam multa in hac civitate novata sint, et quidem statim ab origine urbis nostrae, in quod formas statusque res p. nostra diducta sit': ‚sed illoc potius revertar. Civitatem . . .' Qua voce princeps de civitate progressa et de ratione senatus supplendi a maioribus adhibita loqui coepit.

Venio ad alteram tabulae paginam. Quae quamvis non minus deleta sit superiore parte quam prior, tamen et ex verbo ‚civitatem' in prioris paginae fine extante et ex iis quae alterius prima sunt verbis Caesarem cum de civitate quomodo paulatim usque ad Alpium radices prolata sit tum de ratione senatus supplendi saepe mutata disseruisse elucet. Et hanc partem scriptor accuratius — qua de causa postea demonstrabo — executus est.[2]) Fortunae autem molesta factum est invidia, ut quae Claudius de his rebus locutus est, maximam partem deleta sint. Tamen suis ambagibus minime abstinentem exemplis a Tacito allatis usum principem dixisse verisimillimum est. Pro certo scilicet id tantum affirmari potest Claudium etiam de ratione lectionis ab Augusto adhibita verba fecisse: Tacitus exemplum coloniarum veteranorum ab Octaviano conditarum inseruit: ‚cum specie diductarum per orbem terrae legionum additis provincialium validissimis fesso imperio subventum est'. Tiberii principis senatus lectionem a Claudio commemoratam: ‚sed patruus Ti. Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum, bonorum

---

1) Rodenwaldt: l. l. p. 1 t. ‚eodem modo quo . . . .'

2) inde a: ‚Neque enim ignoro — sed priori populo factitatum est'. cf. Nipperdey: ad Ann. II. p. 303 s. v. ‚civitatem'.

scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit', scriptor tacet.

Procedente oratione Claudius satis multa et inepta facit verba de viris quibusdam sibi familiarissimis, qui natione Galli iam dudum in senatum Romanum recepti neque ,paenitendi' essent. Iterum Tacitus omnibus ineptiis omissis haec tantum verba interponit: ,Num paenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? Manent posteri eorum nec amore in hanc patriam nobis concedunt'. ,Balbos ex Hispania' ipse addit eodem modo quo postea exemplum Atheniensium ac Lacedaemoniorum et Romuli adiecisse videtur. Illud quoque Claudii ridiculum: ,cuius liberi fruantur, quaeso, primo sacerdotiorum gradu, post modo cum annis promoturi dignitatis suae incrementa' noster commutavit in id quod rem spectat: ,manent posteri eorum nec amore in hanc patriam nobis concedunt'. Porro exemplum libertinorum, quod Tacitus affert: ,libertinorum filiis magistratus mandare non, ut plerique falluntur, recens, sed priori populo factitatum est' etiam in Claudii genuina oratione extitisse suo iure Rodenwaldtius contendit. Suetonius enim de eadem re Claudium disputasse memoriae prodidit[1]): ,Appium Caecum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in senatum allegisse docuit'. Sane scriptor hoc exemplum ita invertisse videtur, ut Appio nomine omisso studiosum antiquitatis Caesarem depingeret: ,non, ut plerique falluntur'. In fine postremo orationis suae Claudius id quod quisquam opponere potuit Gallos fuisse hostes Romanorum refutat. Rursus noster eandem habet cogitationem, sed ita illustrat, ut multo magis utilitatem premat, cum Claudius ad animos Gallorum Romanis benignos praecipue incumbat demonstrandos. Adiecit Tacitus exempla bellorum cum Sennonibus gestorum et urbis a Gallis expugnatae, quae reicientem facit Caesarem memoria Vulscorum Aequorumque et Tuscorum ac Samnitium, deinde utilitatis, si recepti essent Galli, mentionem: ,iam moribus artibus affinitatibus nostris mixti aurum et opes suas inferant potius quam separati habeant'. Servavit

1) Suet. Claud. 24.

scriptor verbis quinque: ‚continua inde ac fida pax‘[1]) ea quae princeps inde ab: ‚in qua si quis hoc intuetur‘ usque ad: ‚ad bellum avocatus esset‘ profert. Omisit, quam quiete Galli ‚census inadsuetum opus‘ tulissent.

Comparatione peracta nunc ad ea quae evinci possunt animos attendamus. Et primum quidem, ut iam supra exposuimus, vix dubium esse potest, quin Tacitus orationem genuinam in manibus habuerit. Nam si quis sententias, quae sunt communes, scriptorem ex auctorum operibus dempsisse non minus verisimile esse obiciat, num casu factum credibile est, ut eadem cogitatio iisdem verbis: ‚paenitet‘ et ‚insignis‘ exprimeretur? Quomodo autem Tacitus genuinam mutavit? Primas Claudii sententias servavit, formam, ut ita dicam, orationis prorsus invertit. Primas retinuit sententias! Nam scriptorem non dubitasse hanc vel illam cogitationem mutare, immo vero suas, si quae ei aptae esse viderentur, addere exempla Balborum et Lacedaemoniorum atque Atheniensium praetermisso Sennonum et Gallorum, Tuscorum ac Samnitium testantur. Admisit etiam illud: ‚iam moribus eqs‘. — Iam vero orationis forma prorsus Taciti est. Neque enim solum dictio et sonus Taciteus est, quae res sane nihil miri habet, quoniam omnes antiqui rerum scriptores ut non semper orationes finxerunt ita certe stilum, ne concentus dilaberetur, metuentes in suum dicendi modum inverterunt, sed etiam compositio rhetorica. Brevis, ne dicam brevissima, ac tamen acuta suum quaeque cogitatio obtinet locum. Prorsus sublata est Claudii verbositas interdum molesta, quod iam ex ambitu ambarum orationum cognoscitur: genuina enim minimum complectitur nonaginta versus, Taciti vero abbreviatio tantummodo triginta: brevitatis Tacitinae exemplum, quo clarius vix reperitur. Neque deinceps dispositionis ordo idem est. Nam cum Claudius primum de rebus omnino in re publica novatis, deinde de civitate paulatim promota et de senatus supplendi ratione, tum de Gallis amicis putandis disputet, apud Tacitum haec occurrit dispositio:

prooemium: maiorum exemplum
(maiores mei — egregium fuerit).

---

1) cf. Claud.: ‚centum annorum immobilem fidem‘.

tractatio:

1) civitatis progressus,
(neque enim ignoro — num paenitet).

2) eius rei eventus,
(num paenitet — at cum Sennonibus).

3) Gallorum defensio et commendatio
(at cum Sennonibus — omnia, p. c.).

peroratio: ‚omnia fuerunt olim nova. Inveterascet hoc quoque'.

Prima igitur illa genuinae parte de rebus omnino semper novatis agente Tacitus perorationis loco usus est.

Tertium, quod ex comparatione discimus, est hoc: Tacitus fontes non exscripsit, sed prorsus invertit. Nam si orationis genuinae nonnisi duas voces retinuit, certe multo cautius ac liberius, quod dictionem attinet, auctores, qui in omnium manibus versabantur, secutus est. Ratio denique, qua scriptor in componenda oratione ductus est, artissime cohaeret cum causa, qua commotus hanc Claudii orationem inseruit. Nobis enim genuinam perlegentibus nusquam fere locus occurrit, qui principem non ignorasse declaret, quam gravem salubremque imperio Romano rem in senatu ageret ubique fere nonnisi inanibus minutisque causis allatis. Tacitum vero, quamvis ipse esset illius nobilitatis, quae omnibus ungulis[1]) annitebatur, ut insignia patrum decora magistratuum sibi ipsis servarentur, ‚fesso imperio' recipiendis viribus integris esse subveniendum iudicio iusto complexum videmus. Neque enim eum latebat civitatem Romanam virtute quondam excellentem iam dudum in deterius esse mutatam neque aliter mores magis magisque lapsos posse emendari ac si provinciarum vires opesque nondum perditae in civitatem adscirentur.[2]) Qua de causa scriptor hanc orationem executus est. Compositurus vero ex iis cogitationibus, quas in genuina expressas invenit, quasdam sibi idoneas, quae ad rem a Caesare actam illustrandam desiderari non potuerunt, retinuit, dissimillimo autem modo tamque libere eas tractavit, ut argumenta tantum orationis genuinae servata sint. Nam adiectae sunt sententiae, quae scriptori aptae videbantur, omissae omnes, quas

1) Tac. Ann. XI, 22.
2) Tac. Ann. III, 25.

supervacuas vel ineptas putavit. Semper ad rem ipsam eiusque utilitatem spectat. Initium dicendi Claudium facit capientem a maiorum eius exemplis, qui quamvis externa origine fuissent, tamen in civitatem Romanam essent adsciti. Deinde quam brevissime exempla maxime idonea affert, quemadmodum civitas Romana a finibus Latii progressa usque ad Alpes esset promota utque etiam Hispanienses et Galli quidam eam essent adepti, neque tamen ita, ut eos esse receptos paeniteret. Sic usu esse probatum civitatem prolatam nequaquam fuisse perniciosam. Contra esse exitio ‚victos pro alienigenis arcere' comprobari historia. Ut enim Romulum, conditorem urbis, summa cum sapientia consuluisse, ut receptis in civitatem hostibus victis rem publicam renovaret, ita Lacedaemonios et Athenienses id neglegentes periisse. Tum Tacitus tertia orationis parte — figura hypophorae usus — principem quasi rei adversarios gradatim facit repellentem. Quos tali honore Gallos esse indignos velut dicentes Caesar postquam refutavit eos ipsos ‚moribus artibus affinitatibus' Romanorum iam mixtos inter omnes esse maxime idoneos, qui reciperentur, probat. Postremo patres admonet, ne a novis rebus nimis alieni essent. — Libri undecimi caput vicesimum tertium si perleges, compositionem Taciti facilius perspicies. Ibi enim scriptor oratione obliqua adversariorum sermones inserit, quos deinde capite vicesimo quarto princeps reicit.

Quae exposita si paucis comprehendemus, fidem historicam in universum modo ac tamen aliorum rerum scriptorum licentia respecta plus quam exspectari poterat a Tacito esse servatam concedemus. Deinde vero scriptorem non tam operam navasse, ut genuinae accuratam legentibus imaginem praeberet, dicemus quam ut rei utilitatem et eventum nec minus principis ingenium moresque describeret. Ut enim hac una tantum sententia: ‚libertinorum filiis eqs.' Caesaris ingenium esset depictum, tamen satis dilucide ex hac una Claudium fuisse hominem philologum cognoscimus. Taciti ratio est eadem quae Thucydidis.[1]) — Eodem modo quo Claudii Tacitum ceteras quoque orationes apud patres habitas, quas quidem Annalibus inseruit, tractasse nostro

1) cf. Thuc. I, 22.

iure contendere possumus. En habes: Asinii Galli luxus defensio (A. II, 33), Hortali deprecatio (II, 37), Tiberii prima (II, 38), altera (III, 12), Pisonis codicilli (III, 16), Caecinae et Valerii (III, 33. 34), Lepidi (III, 50), Tiberii literae (III, 53. 54), Servii Maluginensis (III, 58), Tiberii tertia et quarta (III, 69. IV, 8), Cremutii Cordi (IV, 34. 35), Tiberii quinta (IV, 37. 38), Terentii (VI, 8), Silii et Suilli (XI, 6. 7), Claudii (XI, 24), Vitelli (XII, 5. 6), Neronis (XIII, 4), Cassii (XIV, 43), Thraseae (XV, 20. 21), Marcelli et Ostorii Sabini (XVI, 28), Serviliae (XVI, 31) orationes vel directae vel obliquae.

Accedunt, quae Historiarum parti conservatae sunt intextae, admodum paucae: Prisci et Eprii Marcelli (IV, 7. 8), Curtii Montani (IV, 42). Quibus plures non extant. Attamen haud absurdum videatur suspicari scriptorem liberius egisse, cum Historiarum orationes senatorias componeret. Nam ut in genere scribendi Annales haud ita parvum ostendunt progressum, ita etiam qualitate orationum Agricola Historiaeque distant ab Annalibus. Illis enim operibus interpositae quamvis scriptorem iam dudum a Ciceronis eloquentiae verbosae, quam in ‚dialogo de oratoribus' aemulatus est, imitatione recessisse declarent, tamen magis scholam moremque rhetoricum redolent ita ut consilium pateat, quam quas Annalibus reperimus insertas. Iam multo breviores sunt ‚Historiarum' quam ‚Agricolae' orationes, brevissimae vero plerumque ‚Annalium,' quae interdum nonnisi argumentorum speciem prae se ferunt.

Nostro iure ea quae comparatione evicimus, in omnes orationes apud patres habitas et epistulas in senatu recitatas transtulimus Nunc si ad reliquas, quarum germana nulla extat quarumque genuinas formas ne Tacitus quidem ante oculos habuit, nos vertimus, res multo difficilior fit atque nobis recte iudicaturis omne cautionis genus est adhibendum. Duo enim imminent pericula inter se contraria, primum, ne quod ad orationes senatorias idem valere ad omnes praeiudicemus — quem in errorem Rodenwaldtius incidit[1]) —, alterum ne Livii aliorumque rerum scriptorum ratione nimis respecta reliquas orationes esse commenticias, a Tacito plane fictas arbitre-

---

1) Rodenwaldt: l. l. cf. p. 4. huius libelli.

mur. Quod periculum Walterus[1]) parum evitavit. Nobis vero, ut duos illos errores effugiamus, hanc viam ingredi propositum est: Tacitus earum orationum, quas ipse inspexit, summas sententias servavit, ceterum autem prorsus libere novas conscripsit orationes. Iam porro si quid de sermonibus reliquis scivit, apud auctores invenit. Auctorum vero orationibus multo minorem fidem eum tribuisse quam genuinis, praesertim quod ad barbarorum sermones attinet, per se dilucidum esse videatur. Itaque egisse eum liberius talibus in orationibus componendis iam hac deliberatione verisimile fit. Sed talis argumentatio non sufficit. Alias accedere causas, quibus haec maior licentia comprobetur, necesse est. Neque desunt. Nam si reliquas perscrutamur orationes, nonnulli quidem loci occurrunt, quibus scriptor quasi se ipse prodit cogitationes suas vel minime vel minus dicentibus aptas inserendo. Sane natura rei secum fert tales locos esse perpaucos ac ne eos quidem omnes omni cum evidentia tales se praestare. Attamen exempla orationis Claudianae a Tacito adiecta si memoria tenebimus, fortasse id quod verisimile erit, pro certo affirmare poterimus.

Iam in oratione Calgaci, quam in libro ‚de Agricolae vita et moribus' scriptam videmus, illud[2]): ‚sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est,' non Calgaco Britanno sed Romano Tacito esse attribuendum iam Woelfflinus[3]), quem Carolsfeldus est secutus, suo iure obtinuit. — Accedamus deinde ad Historias. ‚Loco libertatis erit, quod eligi coepimus et finita Iuliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inveniet'[4]), Galbam quasi vaticinantem facit Tacitus, qui Nervae, Traiani, Hadriani adoptiones noverat itaque ad rerum causas et conexum spectans minime dubitavit id attribuere Galbae.

Porro si Pisonem audimus exclamantem[5]): ‚minus triginta transfugae et desertores imperium adsignabunt', nonne interrogamus mirati, unde Piso numerum coniuratorum esse tam

---

1) Walter: l. c. cf. huius libelli p. 4.

2) Agr. 31, 3.

3) E. Woelfflin: Annall. Bursiann. 1874/75 I. Carolsfeld: l. l. p. 7.

4) H. I, 16.

5) H. I, 30.

exiguum certior factus sit, nisi Tacitum hic loqui putamus? Scriptor enim nusquam Galbam vel Pisonem sciisse refert, quam pauci fuissent coniurati. Neque scierunt re vera. Nam tum certe fortius magisque strenue restitissent. — Etiam illud[1]): ‚nemo enim umquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit‘ consulto Tacitum composuisse apparet, ut quasi praeparans legentium animos iam hic ostenderet imperium Romanum, etiamsi Otho rerum fuerit potitus, nondum in illo esse acquieturum. Nonne iam nos videre putamus principem militum nocturno tumultu perterritum reputantem non posse principatum scelere quaesitum ‚subita modestia et prisca gravitate retineri‘.[2]) Neque enim Otho lemures, quos ipse ex noctis tenebris excitaverat, non iam posse placari neque esse difficilius imperium flagitio quaerere quam ita partum bonis exercere artibus ignorabat.

Deinde haec verba: ‚transcendet haec licentia in provincias‘[3]) magis quadrant ad Tacitum auctorem, quippe qui Germaniarum Syriaeque legionum seditiones cognosset, qui iterum apud Bedriacum cives in cives saevire vidisset quam ad Pisonem.

Interdum quoque scriptor, quid ipse de aliqua re iudicet, quasi ore dicentium promit, ut si Galbam facit loquentem: ‚si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset‘.[4]) Accedunt duo loci, quorum priore[5]) Marcellus se ‚bonos imperatores voto expetere, qualescumque tolerare‘ dicit, quam rationem etiam noster probavit. Itemque altero loco[6]) Tacitus Cassii senatoris ore suam sententiam defendere videtur. Ambo sane loci orationibus senatoriis insunt. Restat, ut de illis Domitio Celeri attributis disseram verbis: ‚Est tibi Augustae conscientia, est Caesaris favor, sed in occulto.[7])

---

1) H. I, 30.
2) H. I, 83.
3) H. I, 30.
4) H. I, 16. cf. I, 1.
5) H. IV, 8.
6) Ann. XIV, 43. cf. Teuffel: Hist. Litt. Romm. 333,[4]7.
7) Ann. II, 77. cf. II, 43. 82. III, 10. III, 16: cum fide adversum te neque alia in matrem tuam pietate (Piso in codicillis ad Tiberium).

Etenim Tacitus, cui ipsi persuasum erat Tiberium fuisse Pisonis conscium, sed qui id comprobare non potest, ita scitissime, quid ipse sentiat, legentes facit scientes.

Alterum conspicitur argumentum Sallustii orationum et epistularum comparatione. Haud enim ita raro et quidem plerumque in Historiis atque Agricola, quarum orationes conservatae omnes fere extra senatum habitae sunt, Tacitus non modo constructione et usu verborum eorundem sed etiam cogitationibus dicentium Sallustii tam similis est, ut interdum fortasse id quod nobis licere videtur transeat. Quales loci a Schoenfeldio in dissertatione collecti sunt.[1] Exempli gratia nonnullos adnotare volumus:

Sall. Cat. 58,9—10: Si vincimus, omnia nobis tuta erunt — sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient.

Tac. Agr. 33: omnia prona victoribus atque eadem victis adversa.

Sall. Cat. 52, 35: alii intra moenia atque in sinu sunt hostes.

Tac. Hist. III, 38: in urbe ac sinu cavendum hostem.

Declaratur vero talibus locis Tacitum orationibus Sallustii studium adhibuisse, ut, quomodo oratio artificiose sit conscribenda, disceret. Quod cum didicisset, ex vinculis Sallustii imitationis effugiens perfectus historicus in Annalibus se vindicavit in libertatem. — Haec de discrepantia inter duo orationum genera, quae statuimus. Reliquum est, ut paucis disseramus de verbis, quibus Tacitus orationes inducit quibusque in fine ad eas respicit. Ex iis enim scriptorem non omnes sententias, quas in genuinis orationibus vel apud auctores expressas invenit, retinuisse sed tantummodo summas inseruisse elucet. Simul cognoscemus scriptoris studium varietatis. Et primum quidem voces ipsas referens expressis verbis Tacitus semper fere id adnotat:

‚ipsa enim verba referam‘: H. III, 39. A. XIV, 59. XV, 67.

‚verba Flavi vulgabantur‘: A. XV, 65.

‚hisce verbis‘: A. VI, 6[2]), XI, 21. XII, 21. XVI, 4.

‚hoc enim verbo usum ferunt‘: XI, 37.

---

1) G. Schoenfeld: ‚de Taciti studiis Sallustianis‘ Lips. 1884. p. 52—54.

2) cf. Suet. Tib. 67, ubi eadem verba extant.

Ceterum etiam brevia dicta memorabilia in suam dictionem non inversa parcissime interponit. Verba enim ipsa narrationi non admiscet, nisi ipsa referri multum interest. Sin haec ratio non intercedit, dicta aliorum suis verbis tradit. Quam ad rem pertinent duo loci Annalium[1]), quorum ex comparatione verbum ‚invertere' (XV, 63) nonnisi ad brevia dicta spectare neque ad orationes insertas satis apparet. — — Saepissime deinde verbum ‚inquit' non solum, ubi verba ipsa refert, sed etiam cum orationem compositam interponit, promiscue adhibet atque tum quidem potissimum, si repente impetu aliquem facit exorsum aut si obliquam orationem traducit in rectam, rhetoricae, ut videtur, descriptionis causa:

H. I, 35. II, 47. 78. III, 24. 54. IV, 32. 42. 66. 77.

A. I, 12. 22. 74. IV, 8. XI, 2. 4. XII, 18. XIII, 21. XIV. 9. 59. XV, 63. 67. XVI, 31. 35.

Haud ita multis locis et quidem in Annalibus demum invenitur ‚ait': A. I, 12. 19. II, 38. IV, 52. 54. XI, 3. 30. XIII, 16. XV, 66. 67. 69. XVI, 9. Quod exemplum est dictionis paulatim mutatae, poetico colori admotae.

Deinde ceterae formulae, quae orationes inducunt, afferendae sunt:

‚in hunc modum locutus fertur': Agr. 30. H. I, 15.

‚multo sermone orasse ferunt': H. IV, 52.

‚in (ad) hunc modum adlocutus est': H. I, 29. I, 66. (in eundem modum) II, 96. III, 8 (huiuscemodi). 63 (in eundem modum). IV, 57. 64. 65. A. I, 58. II, 37. 71. III, 50. 52. 65. IV, 34. 37. II. III, 8. VI, 8. 20 (in hanc sententiam). XII, 10. 19. 25 (in eundem modum). 36. XIV, 43. XV, 24 (in eandem formam).

‚ita coepit (exorsus, locutus est etc.)': H. I, 36. 83. II, 76. IV, 73. V, 26. A. I, 42. XI, 24. XIV, 53. XV, 2. Agr. 33.

‚ferme': A. II, 38 (his ferme verbis) III, 16 (in hunc ferme modum). XIV, 55 (sic ferme). XV, 25 (his ferme verbis).

‚quarum sententia in hunc modum fuit': A. III, 52.

‚eius talis forma fuit': A. IV, 39.

‚quarum summa erat': XIV, 10.

---

1) Ann. XV, 63. XV, 67.

Reliquae sunt formulae, quae in fine orationum positae abbreviationis signa sunt. Et plerumque ‚haec atque talia' reperitur: H. I, 16. 66 (his et pluribus). II, 2. 48 (talia). III, 3. 8 (et alia huiuscemodi). 60. A. I, 5. II, 38. IV, 7. 60. XI, 6. 17. 24. XII, 11. 34. 65. XIII, 7. 46. XIV, 1. 49. XV, 12. 25 (talibus). 36. 63. XVI, 29. Agr. 16. — Persaepe autem ‚haec' tantum extat ‚talia' voce omissa, sive quod scriptor ad varietatem spectavit sive quod tantam diligentiam esse supervacaneam putavit: H. II, 44. II, 76. III, 14. 70. IV, 24. 56. 57. A. I, 28. 44. 60. 74. II, 46. VI, 48. XII, 20. 25. 41. 46 XIII, 15. 56. XIV, 55. 56. XV, 20. 59.

Orationes senatoriae praecedunt, quod fidem historicam attinet, ceteras. Inter ceteras vero primum fidei locum obtinent Caesarum orationes, secundum ducum Romanorum exhortationes, tertium barbarorum sermones, ultimum reliquae sermocinationes. Nam quamquam auctores Taciti etiam de barbarorum verbis certum aliquid tradidisse locis supra allatis comprobatur, tamen certe eandem fidem iis nec Tacitus habuit nec nos tribuemus. Quin etiam si quasdam contemplemur contiones, velut Civilis Batavi ad praefectum quendam cohortis Romanae[1]), cuius de verbis auctores vix fide dignas facere potuerunt relationes[2]), et barbarorum ducum, ut Arminii atque Segestis[3]), tales esse prorsus fictas suspicio fortasse iusta moveatur. Sine dubio Tacitus auctorum relationibus usus est. Ceterum vero orationes libere conscripsit. Sed cum iam auctores composuisse statuendum sit, quantum fidei relinquatur, patet. — Ad postremum orationes extra senatum habitas, quas Tacitus inseruit, enumerem, ut quasi gradus fidei melius perspiciatur:

I Caesarum et virorum in re publica insignium vel apud principes vel apud amicos orationes atque epistulae:

Galbae (H. I, 15. 16), Pisonis (I, 29. 30), Othonis tres (I, 37. 38. I, 83. 84. II, 47), Muciani (II, 76. 77) orationes, Antonii Primi literae (III, 53), Flavii Sabini (III, 70), Germanici (A. I. 42.

1) H. IV, 32.
2) H. IV. 32, 20: ille (praefectus) ut irritus legationis redit cetera dissimulans.
3) A. I, 58. 59.

43), (II, 14. II, 71), Pisonis et Domitii Celeris (II, 76. 77) sermones, Seiani codicilli (IV, 39), Tiberii epistula (IV, 40), Arruntii (VI, 48), Agrippinae (XIII, 21), Sabinae Poppaeae (XIV, 1), Senecae et Neronis (XIV, 53. 54), (XIV, 55. 56), Tigellini (XIV, 57), Poppaeae (XIV, 61), Senecae morientis (XV, 62. 63), Capitonis Cossutiani (XVI, 21) orationes.

II ducum Romanorum exhortationes apud milites promptae:

Suetonii Paulini (H. II, 32), Antonii Primi (III, 2. 20), Voculae (IV, 58), Cerialis (IV, 73. 74. IV, 77), Blaesi (A. I, 18. 19), Drusi (I, 29), Caecinae (I, 67), Silii (III, 46), Suetonii (XIV, 36), Corbulonis (XV, 12. 27), Agricolae (Agr. 33. 34.)

III militum sermones:

Percennii, Vibuleni (A. I, 17. I, 22), Clementis centurionis (I, 28).

IV barbarorum orationes:

Civilis (H. IV, 14. 17. 32. 66. V, 17. 26), Civilis et Tutoris (IV, 76), Agrippinensium et Germanorum (IV, 64. 65), Segestis et Arminii (A. I, 58. 59), Arminii et Flavi (II, 9. 10), Arminii aut ceterorum Germanorum procerum (II, 15), Arminii et Marobodui (II, 45. 46), Mithridatis (XII, 18), Carataci (XII, 37), Boudiccae (XIV, 53), Vologaesis (XV, 2), Calgaci (Agr. 30—32).

V sermones et cogitationes:

Othonis (H. I, 21), primorum civitatis et Vitellianorum (III, 64. 66), de Augusto et Tiberio rumores (A. I, 4. 9. 10), militum (I, 26. 27), (H. IV, 72), Germanici (A. II, 5), Drusi cogitationes (IV, 7), sermones Thraseae obtrectatorum (XIII, 49), Batavorum (H. V, 25), Britannorum (Agr. 15) etc.

Appendix.

1) ratio, qua Tacitus in orationibus inserendis usus est, gravissimis illustratur exemplis.

Iam comparatione supra instituta Tacitum orationem conscripturum in id potissimum incubuisse cognovimus, ut et rem, de qua ageretur, ac rerum causas conexumque et virorum memorabilium ingenia atque mores planius explicaret. Simul vero nusquam effectum rhetoricum neglegit. Nam non epice sed dramatice narrare Taciti est. Interponere autem solet orationem, quotiens res ad discrimen pervenit. Quaedam afferamus exempla: Quinque, quasi res in scena ageretur, actibus Galbae exitium videmus dispositum, quorum primus (H. I, 15—20) Pisonis adoptionem, alter (H. I, 21—27) id quod interea Otho agit, tertius (H. I, 28—35) res ante Palatium, quartus (H. I, 36—38) res in castris praetorianis, quintus (H. I, 39—47) Galbae mortem ipsam describit. Ac primo Galbae, tertio Pisonis, quarto Othonis prima contio intexta est.

Iam complures per menses Galba, ut erat severus quaeque res poscerent ignarus, imprudenter et temere agendo summum in odium inciderat; neque iam multum abesse videbatur, quin denuo de principatu belli incendium exardesceret, cum Galba Pisonem Licinianum adoptavit. Hoc loco scriptor narrationem oratione Galbae inserta consistit. Quantum enim adoptio valere potuerit, si Caesar virum idoneum sibi successorem elegerit, in aperto est. — Galbae ante Palatium immolanti rumor Othonem principem salutatum

‚rapi in castra‘ adfertur. Tali in discrimine, cum plurimum interérat cohortem, quae in Palatio stationem agebat, permanere fidam, Piso contendit et elaborat, ut id assequeretur: milites ad contionem vocatos adloquitur (H. I, 29. 30). — Othonis principis tres intextae sunt orationes, quarum prima inter Galbae et Othonis principatum, ut quasi traducat narrationem ab illo ad hunc, locum tenet: Otho in discrimine milites exhortatur (H. I, 37. 38). Neque sine consilio et ratione scriptor praeter hanc duas alias Othonis interposuit. Miram enim Caesaris animi mutationem illustrare voluit. Nam cum prima Otho vilissimus atque ignobilissimus homo depingatur, tertia (II, 47) virum patriae amantissimum, heroa, cernimus, qui sibi ipse mortem consciscere malit quam denuo cives civili bello videre dilaceratos. Quomodo autem tanta animi commutatio facta sit, secunda (I, 83. 84) oratione scriptor exponere conatur, qua Otho imperium scelere partum bonis artibus statim exerceri non posse intellegit. Antecedit huic animi descriptioni quasi prooemium meditatio obliqua (I, 21): Otho prodit in scenam. — — Vitellius rerum est potitus. Orientis legiones desciscunt. Quod ut factum sit, Muciani oratione (II, 76. 77) explanatur. Mucianus enim Vespasianum cunctatorem persuadet, ne principatum arripere dubitet. — — Civilis Batavi quinque reperimus sermones, quorum primo (H. IV, 14) populares excitat, altero (IV, 17) Gallos allicit, tertio (IV, 32) praefectum quendam cohortis Romanae corrumpit, quarto (IV, 66) Treveros iam cum Batavis pugnaturos in societatem recipit, quinta (V, 26) denique, cum spem eventus non esse intellegat, callide veniam petit vel potius poscit: Batavorum belli quinque gradus. Fastigium significat Voculae oratio (IV, 58): fortem ducem Romanum milites deserunt. Tum Cerialis Gallos reconciliando (IV, 73. 74) bellum conficit — —.

In Annalium priore parte conservata Tacitum summa cum arte Tiberii animum depinxisse inter omnes constat. Cuius principis septem vel orationes vel epistulas executus est, exempla simulationis, ut suam opinionem, quam sibi finxerat, de Tiberio probaret. Ceterum exequitur ‚sententias insignes per honestum aut notabili dedecore‘ (cf. A. III, 65). Altera in Annalium parte non minus artificiose quam Tiberii describit Neronis animum. Egregium initium

(XIII, 4), horribilis exitus (XVI, 21. 28. 31)! Transgressum ab illo ad hunc Tacitus eximia arte describendi nobis ante oculos ponit. Gradatim cernimus Neronem a bonis consiliis pedem referentem: crudelitas et libidines nondum eruptae, dum Agrippina mater vivit, dum Burrus ac Seneca valent; quibus amotis furor immoderatus. Primum vero mutationis gradum significat Agrippinae matris oratio (A. XIII, 21), ultimum Senecae et Neronis (XIV, 53. 54. XIV, 55. 56). ‚Ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit' (XVI, 21): Soranus et Thrasea accusantur (XVI, 21. XVI, 28). Nusquam fere Taciti ars dramatica clarior elucet quam hac occasione. Ubique enim res agitur et celeratur, ubique animus legentis percutitur. Fastigium autem ascendit, cum Serviliam, Sorani filiam, summa desperatione et metu et amore excitatam facit dicentem (XVI, 31). Nam cum narratio maximam consequitur agilitatem tum Soranus filiae amore artificiose depingitur.

---

2) de Taciti arte orationum conscribendarum.

Promiscue Tacitus orationem rectam et obliquam adhibet. Quin etiam interdum sermonem ex forma indirecta facit transeuntem in directam (H. III, 2), rhetorici, ut videtur, effectus gratia. Velut Antonii in oratione: tranquillo tenore primum hostes esse contemnendos explicat: nunc, mox res alia erit. Tres interrogationes significant summa prioris partis. Iam incipit altera pars. Iterum deliberatio initio temperata. Statim vero furor rursus erumpit. Oratio fit recta. Deinde in Tiberii (A. IV, 8): cuius ‚continuae' patres morte Drusi maestos erigentis summam scriptor postquam rettulit sermone obliquo, Tiberium Germanici filios manu apprehendentem facit exorsum: ‚Patres conscripti, hos, inquit, orbatos parente tradidi patruo . . . .' Allocutione princeps incipit: quod animi perculsi ac maerentis documentum est a scriptore scite adhibitum. Eodem artificio etiam Hortali (A. II, 37) petentis patrumque auctoritatem veriti animus depingitur. Contra Tiberius in fine demum dicendi ‚Hortale' inserit (A. II, 38). Quod deinde ad dispositionem attinet, orationes sive bifariam sive trifariam sive quadrifariam dispertitae

sunt. Singulas partes scriptor interdum significavit. Velut Galbae oratio (H. I, 15. 16) in duas divisa est, quarum utraque eadem verborum compositione incipit:

a) si te privatus — nunc (c. 15).

b) si immensum — nunc (c. 16).

Item Othonis orationes prima et altera (H. I, 37. 38. I, 83. 84): utraeque partes ostendunt allocutionem: ‚commilitones'.

Plerumque nec prooemium nec peroratio neglecta sunt. Muciani oratio (H. II, 76. 77) prooemii loco artificiosam praebet partitionem. Haud ita raro adhortatio in fine partium posita est, ut in Galbae (H. I, 15. 16), Agricolae atque Calgaci (Agr. 30—32. 33—34) orationibus, vel partibus immiscetur, ut in Pisonis contione (H. I, 29. 30).

Simili modo incipiunt orationes:

Agricolae (Agr. 33): ‚septimus annus est, commilitones, ex quo . . . .'

Pisonis (H. I, 29): ‚sextus dies agitur, commilitones, ex quo . . . .'

Senecae (Ann. XIV, 53. cf. H. I. 37): ‚quartus decimus annus est, ex quo . . . .'

Ad postremum Taciti artem animorum describendorum duobus exemplis illustrare liceat. Prius praebet Antonii epistula (H. IV, 53). Cuius ducis amor sui scitissime significatur pronomine personali septies presso: ‚se egisse — suis stimulis — sua constantia — sui operis — non se nuntiis — sibi salutem — suis exhortationibus'. Alterum reperitur in descriptione Othonis animi. Eandem enim rationem, quae Othonem permoverit, ut imperium usurparet, eandem impulisse Caesarem ad mortem voluntariam scriptor nos facit scientes:

H. I, 21: ‚mortem oblivione apud posteros vel gloria distingui'.

H. II, 47: ‚hinc Othonem posteritas aestimet'.

Plutarchus quoque (Otho. 15) Othonem moriturum facit loquentem apud amicos. Neque fortasse Graecum auctorem praeter Tacitum hoc loco etiam alium scriptorem, qui Taciti quoque fons — inter alios — fuisse videatur, ante oculos habuisse a verisimilitudine

abhorret. Cogitationes enim non tam aliae sunt quam aliter prolatae. Omnia, quae Otho apud nostrum loquitur, heroica sunt atque speciem artis rhetoricae prae se ferunt. Tres extant in brevissima oratione sententiae communes:

‚difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum'.

‚plura de extremis loqui pars ignaviae est'.

‚nam incusare deos vel homines eius est, qui vivere velit'.

Apud Tacitum Caesar ‚madet Socraticis sermonibus', apud Plutarchum multo magis rebus stat, exempla sumit ex vero.

Vita.

Natus sum Carolus Ferdinandus Anacker Idibus Iuliis a. h. s. LXVI patre Aemilio, matre Mathilda e gente Kehr, quos adhuc vivos pia mente veneror, Casselae, in urbe Cattorum, atque fidei evangelicae addictus sum. Novem annos natus Gymnasium Hersfeldense frequentare coepi. Post quinque annos ad Warburgensis Gymnasii discipulos adscriptus quattuor iterum annis praeterlapsis maturitatis examen superavi vere a. h. s. LXXXV. Ad Literarum Academiam Lipsiensem antiquitatis studiis operam daturus profectus per unum annum scholis virorum doctissimorum philologis Georgii Curtii, Lipsii, O. Ribbeckii, Hansseni, Crusii, Hirzelii, philosophis Heinzei, Germanicis Bahderi interfui. Monachium migravi, ubi enixe operam navavi studiis archaeologicis, quae mihi semper cordi erunt. Qua in urbe praeter Brunnium audivi Bernaysium, Woelfflinum, Schoellium, quorum ne seminariis quidem defui. Mox Berolinam ire contendi ibique maxime in res scenicas incubui cognoscendas. Scholis adfui Mommseni, Kirchhoffii, Steinthalii, E. Curtii, Paulseni. Postremo transii ad Marpurgensem Literarum Academiam Philippinam. Per duodeviginti menses hac in urbe Cattorum situ pulcherrima antiquitatis et linguae Germanicae studia apud doctissimos viros, L. Schmidtium, Th. Birtium, Wissowam, Lucaeum, Stoschium, Niesenm, Bergmannum, Cohenum, Natorpium persecutus sum. Birtius etiam aditum ad privatissimas exercitationes mihi aperuit. Praeterea seminariis Schmidtii, Birtii, Lucaei hoc tempore affui. Quos viros omnes optime de me meritos grato semper animo profitebor.

Corrigenda:

p. 6. adn. 2): Agr. 10 pro Ann. XIV, 29.
p. 33. l. 17 : leg. ‚initio'.
p. 34. l. 26: leg. ‚eas'.
p. 37. l. 37: leg. ‚crebrarum'.

Typis M. Schilpii, typographi Warburgensis.